

www.e-rara.ch

Cosmographiae universalis Lib. VI. in quibus, iuxta certioris fidei scriptorum traditionem describuntur, Omniu[m] habitabilis orbis partiu[m] situs ... Omnium gentium mores, leges, religio, res ...

Münster, Sebastian

[Basel], [1552]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 9162

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-14459>

De Gallia [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]


Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE GALLIA ET

eius situ: item de eius partitione,

populis, ciuitatibus, montibus, fluuijs, &c.

Septentrio



GALLIA tertia Europae regio nomen accepit à duce Galate filio Herculis Aegyptij. Venit hic Hercules in regionem Galliae ante destructionem Troianā, cōdiditq; in Celtica ciuitatē nomine Alexiā (quā longē post Iulius primus Caesar destruxit) & genuit ibi Galaten, cui adulto pater tradidit regnū. Is ergo cum regni fines extendisset & multa praecleara gessisset, subditi eius ab ipso dicti sunt Galatae, & regio ipsa Galatia. Romani uerō extracta syllaba ex Gallatia fecerūt Gallia. Alij uero putant Gallia deriuari à graeco uoce Gala, quae lac significat, quod scilicet Galli candiores sint Hispanis. Multiplicatis proinde Gallis, diuisa est Gallia in duas partes, nēpe Cisalpinā, quae ultra alpes in Lōbardia locū habet Italiae, & in Trāsalpinam quae citra montes occidentē respicit. Vocata est quoq; una Gallia togata seu tōsa, alia Gallia comata, quod hi nutrent pilos, illi uero resecent. Gallia comata seu Trāsalpina diuisa est in tres regiones, uidelicet Belgicā, Celticam et Aquitanianā. Et secundum Berofum, in Celtica olim regnauit Lugdus, à quo Lugdunū et Lugdunēsis Gallia nomen accepit, sicut & à Celta rege Celtica denominata est, & Graeci olim populos Galliae comatius nomen Celtas nominauerūt. Haud secus illis tēporibus à ciuitate Narbonensi regio illa appellata est Gallia Narbonensis, & Braccata à Braccis uestitū genere, quam hodie uocāt Langendocken. Hec nomina tēporis successumutata sunt in alia uocabula. Nam Gallia Celtica demigrauit in Galliam Lugdunensem & Narbonensem, & hodie sunt delphinae, Sabaudia, Prouincia, Langendocken & Burgundia. Aquitania uerō uetustum retinuit uocabulum in hodiernum usq; diem extendiuitq; ad fluium Ligerim. At Belgica à Belgio rege, qui in ea imperium habuit, ad Rhenum usq; secundum ueterum descriptionem propagata est, & pro maiori parte lingua utitur Teutonica, includens omnes regionem istas (ut hodie nominant,) Alsatiā, Lotharingiā, Vastū regnū, uulgo Vuesterich, Brabantia, Flandriā, Geldriā, Normandiā, Britaniam, Burgundiā, & Franciā quae est per circuitū Lutetiae. Olim regionū limites fuerūt montes & flumina, extēsaq; propterea fuit Gallia ad Rhenum, q Gallos à Germanis separauit, at hodie linguae & imperia determināt unā regionem

Gallia togata & comata.

Lugdunensis.

Belgica.

regionem ab alia, & eousq; una quæq; extenditur regio, quousq; gentis illius sermo uer-
satur, atq; ob id Alsatia, Vastū regnum, Brabantia, Holandia, Geldria, & alia Teutonice
nationes non Franciæ sed Germaniæ adscribuntur.

Vnde exortum sit nomen Franciæ, cum ab antiquis temporibus hæc
regio semper uocata fuerit Gallia.

HAbent historiæ, Franciæ, regionem hoc nomen fortitam aliquot annis post Chri-
stum natum, id est à Teutonicis Franconibus, qui ueri et genuini fuerunt Franci,
tamen Gallii id constanter negent, longeque aliter sentiunt, dicantque Galliæ partem
Franciam dictam à Fræco filio aut nepote Hectoris, qui post destructam Troiam
uenit in Galliam, denominauitque Galliam à se Franciã. Recte quidem sentiunt Franciam
à Franco dictam, at plurimi elapsi sunt anni à Franco usque ad illud tempus quando Gal-
lia cœpit uocari Franciã. Siquidem Francus non regnauit in ea regione quæ hodie Fran-
cia appellatur, sed fuit dux aut rex Franconum Germaniæ. Vnde & Raphaël Volater,
colligit ex Agathio, Francones occidentales ex ea natione migrasse, quæ trans Rhenum
nunc quoque Franconia est. Hi enim anno salutis circiter 420 exagitati à uicinis simul &
mutandi melioris soli gratia in proximam Galliam Belgicam cum eorum rege Clodio tra-
iecere, locaque Metensium primo ac Tullensium tenuere, ubi Aetio duce Imperatoris, de
Gothis & Aquitanis, postremo Normandis ac Longobardis uaria successione ac ma-
gna uirtute superatis, tota paulatim Gallia potiti sunt. Alii uero altius ista repetentes, scri-
bunt in hunc modum: Destructo Troianorum Ilio, traiecerunt Hellespontum nepotes
Priami, inhabitaueruntque loca circa Mæotides paludes & fecerunt sibi regem. Cumque la-
cescerentur à Gothis multis præliis, qui non procul ab eis habitabant, nec ad resistendum
satis fortes essent, Marcomirus rex eorum inito consilio cum reliquis populi præfectis, de-
liberauit relinquere terram illam, nempe Scythiam, & nouam in qua quietiores essent oc-
cupare sedem. Factoque gentiliū more sacrificio, monitus est oraculo quodam, ut adiret
eum locum cum populo suo, ubi Rhenus labitur in mare, ibi adepturus optatam quietem.

Alruna maga.



Neomagi uox
Germanica.

Sicambria.

Genebaldus
dux Francorum
orientalium.

Atque ut certior esset, superuenit & magna quædam Alruna nomine, quæ ad idem illud est co-
hortata. Effecit enim mulier illa arte sua, ut noctu regi Marcomiro appareret spectrum
quoddam cum tribus capitibus, nempe cum capite aquilæ, capite bufonis & capite leonis. Dixitque aquila. Ge-
nustutum ô Marcomire opprimet me & conculcabit leonem, interficietque bufonem. Quibus uerbis signifi-
ficauit futurum, quod posterius eius habituri essent domi-
nium super Gallos, Romanos & Germanos.

Anno itaque quadringentesimo trigésimotertio ante Christi natiuitatem egressus Marcomirus cum po-
pulo suo Scythiam & perueniens in Germaniam, occupauit illa loca ubi hodie est Geldria & Holandia, uocati-
que sunt à Saxonibus Neomagi, germanice Neomagi, id est, noui affines, seu noui uicini. Appellati
sunt quoque à regina quadam Cambra nomine, Sicambria, & nomen illud multis retinuerunt seculis, ut etiam
regio ab ipsis habitata ante Christi incarnationem Sicambria appellaretur. Primus eorum rex quem in
Sicambria habuerunt, uocatus est Anthenor, filius dicti Marcomiri. Secundus fuit Priamus, decimus-
sextus Francus, qui ob singularem prudentiam & egregia sua facta in rebus bellicis, plu-
rimum amabatur à subditis, uocati-que sunt deinceps ab eo Francones. Præfuit rex ille Si-
cambria anno ante Christi incarnationem 42. Septimus post Francum Sicambrorum rex,
dictus est Ratherius, & hic dicitur condidisse ciuitatem Roterodamum in Batauia, ubi
& sepultus est anno post Christum natum 70 sub Nerone Cæsare. Postea circa annum
Christi 320 imperium tenuit in Sicambros seu Francos Clodomirus, cuius frater Gene-
baldus primus factus est dux Francorum Germanorum. Interim uero quo memorati Si-
cambria incoleuerunt Germaniam plurima gesserunt bella contra
populos

populos Galliã inhabitantes, & præsertim cõtra Romanos, qui Gallis tunc imperabant, uiceruntq; illos sæpius quàm ab eis uincerentur. Iuncti sunt etiam illis multi Germani, quorum auxilio breui adepti sunt utramq; Rheni ripam. Sed hac ditioe non contenti extenderunt cotidie terminos suos, ut etiam Treuerim & alias ciuitates occuparint, subiecerintq; sibi omnem terram usq; ad Sequanam fluuium, qui pertransit Luteciam, ubiq; ex ea Romanos pellentes. Hęc ex abbate Spanheimensi, Quę tamen sicut et Hunibaldũ, quem ille secutus est, quidam hic ceu ineptias referentem, reſciunt, aliamq; de Francis habent coniecturã, quam infra iuxta Geldriam obiter commemorabimus. Illis temporibus, nempe circa annum Christi 420 elegerunt Franci regem super se Pharamundum nomine, qui undecim annis potitus rerũ, occupauit bonã partem Celticę & Belgicę, profligatis undiq; Romanis, qui istarum regionum dominium sibi uendicauerant. Fuit hic uicesimus quartus rex Francorum seu Sicambrorũ, & ut Galli quoq; fatentur, fuit primus Gallicę rex post expulsos Romanos, qui Galliam ferè ceterum annis ante Christum natum sibi subditam tuerant. Tradidit hic Pharamundus Franconię ducatum, qui erat iuxta Mæ-

Pharamundus primus rex.



num, fratri suo Marcomiro regendum. Pharamundo successit Clodius filius eius, qui & ipse ab armis non cessans, ditioem regni sui nõ parum ampliauit, id q; facile efficere potuit, quãdo uires Gallicę ppter diutina bella & multas hostiũ incursiones eneruata fuerũt, factaq; inualida ad resistẽdum, Romanis etiam sensim auxilium detrectantibus, unde hostes animati & roborati traiecto Rheno licentius ingrediebantur regionem, ut sibi quærerent mansiones. Nec a suo proposito desistebant, quãtumlibet a Gallicę finibus frequẽter arcerentur, sed sumptis uiribus rursus ingrediebantur, & primum

quidem obtinuerunt Cameracum, deinde Tornacum haud longè a Cameraco distitum. Occupauit quoq; rex iste Treuerim & totam circumiacentẽ terram, interfecto duce Mossellano nomine Sabino, & ne rursus deficeret ab eo, emisit duodecim millia colonorum cum uxoribus & liberis in Franconiã, & tot millia de Franconibus surrogauit in locum eorũ. Cohabitanes aut indigens cũ aduentis, cõtracta affinitate atq; morum conformitate, facti sunt populus unus. Succedẽteq; in regno filio Meroueo, tota ferè Gallia usque ad Rhenum subacta est a Francis. Expulsis namq; Romanis, occupauerunt Colonia Agrippinã, Moguntiam, Nemetes & Argentoratum unã cum tota Gallia. Quomodo uerò & ob quas causas Francones relicta Sicambria, quę nunc est Holandia & Geldria, uenerint in eam prouinciã, quę ab eis denominata est Franconia, dicã infra in descriptione Germaniã. Patet itaque ex his, quomodo Germani Frãci assequuti sint sub rege Pharamundo & eius successoribus Galliam ipsam, denominauerintq; Franciam suo nomine in hũc usq; diem. Quin & regni fasces tenuerunt sexcentis ferè annis usq; ad Hugonem Capetum, qui aliquot annis post Carolum magnum sceptrum obtinuit. Rex quintus in Francia, postquam Francię nomen est sortita, fuit Clodoueus, & hic duxit uxorem filiam regis Burgundię, mulierem Christianam, quę & maritum ad Christi fidem pertraxit, ut tam ille quã multi ex subditis sacrũ baptismũ susceperint a sancto Remigio, anno Christi 499. præsertim cum aduertisset uictoriam contra Germanos sibi a deo concessam. Hic Clodoueus dicitur condidisse Argenting primum templum ligneum, quod postea lapideus fuit constructum & in cathedralem erectum ecclesiam.

Dux Mossellanus.

Clodoueus rex Christianus.

De partitione in Gallia facta, postquam

Francia cœpta est uocari.

Interea temporis quo Sicambri, qui & Frãci, tã opere sudarunt pro Gallia, Burgundiã in proprium euecta est regnum, idq; in hunc modum, ut Krantzius in sua Vandalia sentit. Cõgregati Vãdali cõfederunt ad Rhenũ, cõstructisq; burgis, hoc est, castellis, appellati sunt ab eis Burgũdi. Et cũ illis non satis esset loci pro sui multitudĩe ad manendũ, nam putant plusq; 70 millia armatorũ ripã Rheni infedisse, traiecerũt Rhenũ cũ trecentis milibus hominũ, quibus adiuncti sunt multi Sueui et Alani, omnes inhiãtes Gallicę, quam sciebant terram esse optime cultam & fertilem atq; ob id accommodam habitationi eorum. Sedem itaq; figentes apud Eduos, Lingones & Vesuntios, prouinciã illam in regnum

Burgũdi unde.

gnum Burgundicum sublimarunt, quod tamen postea in ducatum fuit redactum, ac deinde rursus in comitatum & ducatum diductum, quæ diuisio in hunc usque perseverat diem. Porro Burgundos olim fuisse Vandalos, testatur Plinius, qui ita scribit: Quinque sunt genera Germanorum, quidam enim uocantur Vandali, quibus annumerantur Burgundi. Subiecta autem fuit olim regi Burgundia tota Subaudia, Delphinatus, comitatus Valentia & quicquid citra Rhodanum est.

Anno Christi 514 quum filii regum Franciæ multiplicarentur, distracta est Francia in multa regna, duravitque hæc diuisio usque ad annum Christi 618. Tunc enim omnia particularia regna in unam redierunt monarchiam. Vnum appellabatur Austrasia, alterum Neustria, tertium, regnum Sueffionis. Sedebat & Aurelianus rex proprius. Durabant tamen Austrasia & Neustria longiori tempore quam reliqua regna. Extendebatur autem Austrasia usque ad Rhenum, & habuit rex ille regiam suam Metis, aliquando Aquisgranum, uel ut alij dicunt Coloniam. Includebat enim Austrasia Lotharingiam, Brabantiam & totam terram quam circumscribunt Mosæ & Rhenus à Colonia usque ad Alsatiam. Vocabatur autem hoc regnum Austrasia, ab Austraso præfide, quem Iustinianus Imperator regioni illi præfecerat. Alij tamen dicunt Austrasum regem fuisse in ea terra, priusquam Belgica à Franciis subigeretur. Sunt rursus tertij qui Austrasiam ab Austria denominatam putant, quod scilicet orientior sit reliqua Gallia, sicut Austria orientior est reliquis Germaniæ regionibus. Ceterum Neustria complectitur omnes regiones quæ inter Mosam & Ligerim iacent, fuitque Lutetia eius regni metropolis. Errant ergo hi, qui Neustriam Vuestrich interpretantur. Sed nec illi recte sentiunt, qui Normandiam pro Neustria accipiunt, etiã si pars eius fuerit. Eo autem tempore quod Austrasiæ regnum à reliquis Galliæ regnis separatum fuit, rerum potitus est in Gallia Dagobertus rex nonus, qui primum possedit Austrasiam, ac deinde huic regno adiecit Burgundiam, & demum terè totius Franciæ factus est dominus. Interim uero quo præfuit Austrasiæ, regiam suam habuit in Alsatia, condiditque castrum Rubeaquense, ad Eisenburg appellat. Excitauit quoque multa monasteria ordinis S. Benedicti, quæ et magnificè dotauit, præsertim monasterium Vueiffenburgense anno 623. octo miliaribus ab Argentina secundum Rheni cursum distans, & alterum in Surburg, quod duobus miliaribus distat à Vueiffenburg uersus Argentinam, ubi hodie collegia sunt sacerdotum secularium. Item aliud in Haselach è regione Argentinæ in montibus occidentalibus. Erexit & Argentinensem ecclesiam in episcopatum, magnificè quoque dotauit, de quo infra suo loco quoque dicetur. In hac autem Galliæ diuisione, regnum Arelatense etiam exordium sumpsit, quod sub se habuit Subaudiam, Heluetiam, Delphinatum, dominium ducum Zaringensium, atque comitum ab Habsburg, de quo infra latius dicemus. Armorica quæ nunc Britannia est, fuit anno Christi 387 à rege Maximino Britannico, hoc est, Anglico, expugnata, atque ab eo tempore usque in hunc diem minor Britannia appellata. incoluerunt autem eam regionem multa millia Anglorum, occisis infidelibus habitatoribus. Scribunt alij id factum anno à Christo nato quadragesimo quadragesimo nono. Nam oppressis Britannis seu Anglis à Saxonibus, qui Angliam occupauerant, coacti sunt discedere à patriis sedibus, atque alias querere habitationes. Traiecto autem mari obtinuerunt terram illam, quæ è regione Angliæ in Gallia sita est, denominaueruntque eam à se Britanniam; in qua adeo uiribus creuerunt, ut qui antea propriam patriam tueri nequibant, obtentam illam nomam terram nedum tuerentur, uerum & toti Galliæ graues essent. Fuerunt semper rebelles regibus Galliæ, atque tandem sub iugum sunt redacti, quando scilicet Nordmanni ex septentrione egressi, & portione terræ Gallicanæ occupata, foedereque inito cum regibus Franciæ, dominium assecuti sunt super Britanos, tamen si illis tam ægrè paruerint, ut antea regibus. Nordmannia itaque sortita est hoc nomen à Nordmannis, qui olim magna frequentia egressi Daniam, Sueciam & Noruuegiam, plurimum affligerunt Galliam, donec tandem sedem fixerunt in ea. Vnde scribunt Historici, quod sub Lothario Imperatore egressi Nordmanni, occuparunt Britannicum mare, & ingressi Ligeris fluuij ostia, repente irruptione loca adiacentia cadibus ac rapinis depopulati sunt. Erant hi Danis finitimi, Oceani accolæ, reliquiarum gentium septentrionalium, quos Carolus magnus deuicabat, raticam exercetes, ore tantum maritimam infestis, qui ad primum Francorum occursum refugiebant. Sed tamè Franciam continuo latrociniis adeo infestabat, ut sub nullo alio hoste tantum astare. Lutetiam ingenti præda spoliantes, primum dulcedine spolijs allecti, reuersi sunt.

Austrasia
Neustria

Neustria.

Rubeaquum
Eisenburg.

Regnum Arelatense.
Britannia minor.

Nordmanni.

Nan
trun
spoli
erat
in
conf
tates
ac d
suas
cessa
inci
liber
Gal
hod
nis i

uer
ieci
illu
tru
bu
Syl
cer
na
ter
Pe
lia

fi
m
d
n
c
li
ir
n

Nanec

Nanetes inuadunt sabbato sanctæ paschæ, & episcopum cum clero sacris intentos obtruncant. Dehinc Andegauum diripiunt, ac Turonensem urbem fuga ciuium desertam spoliant. Cumq; diutius morari non auderent, ob aduentantem Carolū Caluū, cuius hoc erat regnum, discedunt onusti spolijs. Cum autem sic debacharentur in terra, exusserunt in oppido Nouiomagi iuxta Vualam fluium, pulcherrimum palatiū à Carolo magno constructum, deuastantes simul Leodium, Traiectum, Coloniam, Bonnam, & alias ciuitates multas. Quin & regium palatium Aquisgrani penitus igne in fauillam redegerunt, ac deinde Treuerim grauius afflixerunt. Habuerunt regem Gotfridum nomine, qui per suafus suscepit sacrum baptismum post omnia ista mala, designataq; fuit illi Frisia, modo cessaret à tyrannide illa, quod tamen non fecit, sed multis damnis affecit Galliam. Hæc inciderunt in annum Christi 880. quando Carolus Crassus præfuit Franciæ: qui quantum libet multis modis conaretur resistere Nordmannis, non tamen ualuit illos excludere à Gallia, sed coactus fuit inire cum eis fœdus & dare locum pro mansione eorum, qui in hodiernum usq; diem ab eis uocatur Nordmannia, antea Neustria dicta. De Nordmannis infra in Nortuuegia plura.

Nordmanni se uiunt.

De quibusdam ciuitatibus & populis

Galliæ, in quorū tamē descriptionibus nullo utimur ordine, quod post multas pollicitationes pauca simus cōsecuti.

Treueris.

Treueris sua antiquitate omnes reliquas Galliæ excedit ciuitates, etiamsi post sui conditionem sæpe excidio & depopulationi subiacerit. Docent autē historiæ, Trebetam principem, primum eius fuisse conditorem, id quod & in lapide quodam sculpto aiunt repertum anno Christi 1200. Aiunt etiam Trebetam à sua uerba Semiramide exclusam à regno Babylonix, cū illa regni habenas sibi usurparet, traiecto q; mari per multas ambages & itinerum errores tandē uenisse ad Rhenum atq; per illum & Mosellam fluiū uenisse ad amœnam quandam uallem, ubi cōsidens cœpit extruere ciuitatē, quam à se Treberim appellauit, id quod tēporibus Abrahæ, hoc est, duobus ferè millibus annorum ante Christi incarnationem actum scribūt. Vnde & Aeneas Syluius post alios historicos scribit, hanc urbē antiquiorem esse Roma, annis mille & trecentis. Cæterum quàm ea olim floruerit potentia opibus & alijs ornamentis, ostendūt ruinae eius. Monstratur ibi palatium miri operis, quod ad instar Babylonicum muri ex cocto latere factum tantæ firmitatis hodie manet, ut nulla arte frangi queat. Diuus Maternus S. Petri Apostoli discipulus, prima fidei fundamenta iecit in hac ciuitate. Siquidem Gallia paulo post apostolorum tempora suscepit uerbum dei.

S. Maternus Treuirorum apostolus.

Iohannes dei gratia archiepiscopus Tre-

uirensis ac princeps elector, honesto nobis dilecto Sebastiano Munstero Mathematico S.

Honeste, sincere, nobis dilecte, recenti etiamnum memoria complectimur, quanto desiderio superiori anno à nobis efflagitaris, ut delineatam Treuirorū urbem nouo Cosmographico tuo operi inserendam, atq; sic cum multis præclaris urbibus æternitatis laude celebrandam suppeditarem: Nos uerò cum ante hac semper doctorū hominum honestis conatibus et laboribus successum expectatum acclamauerimus, nūc in hac ceu spe cula constituti, intelligere haud obscure possumus, maioribus incitari nos debere igniculis ad illicitas ingeniorū utiles fœturas, nō modo ut hoc tuo studio ditionis nostræ, quæ inter alias monumēta habet antiquitatis nō aspēnāda, encomitū decāret, sed ut in cōmune, omnibus omniū gētium angulis depictæ ceu in tabula urbiū & nobiliū locorū icones ad posteros

ad posteros porro transmittendæ, simul in otio & negotio spectabiles communicentur. Itaque ne te diu suspensum detineremus, complusculis ab hinc mensibus in imperij negotijs districti, prouinciã huius rei dedimus Simonì Richwino, doctori Physico nostro, quem deinde & nostro iussui & tuæ expectationi respondisse cognouimus. Verũ ne omnino a symbolo uideri queam, dedimus iam munusculum, non quod laborem & industriam tuam hac ueluti tessera pensare uelimus, sed ut extaret apud te memento simum, quo testificaremur gratum & acceptum benemerendi tuum studium. Beneuale: Treuiri 17 Nouemb. Anno à Christo incarnato 1548.

SIMON RICHVVINVS medicine doctor, illustrissimi Treuitorum principis & archiepiscopi Ioannis comitis ab Isenburg Physicus, suo Sebast. Munstero S.

Mitto typum urbis Treuitorum, doctiss. uir, sicuti uides, ut cunq; elaboratum. Voluissẽ uacua urbis spacia, ubi pomeria sunt, propterea quod indies melius excolitur et domibus ornatur ciuitas, non tam paterent, sed noluit pictor mutare, ne falsẽ uideretur expressisse, & nouus labor illi subcundus esset. Istud certissimũ est, quarto fuisse excisam Treuerim, quemadmodum Saluianus episcopus Massiliensis nimis uere testatur. Mitto tibi excerptum locum. Nam optimum quadrat proposito. Velim ut libro inseratur propter antiquitatem. Adscripsi nomina insignia locorum in urbe & circumca. Ea curabis quã aptissime appingi. iam non uacat longius tecum agere, Bene uale: Augustæ Vindellicorum ex ca. mitijs quarta Martij, anno 1548.

Antiquitates.

Treuiri in summo templo hæc picta uisuntur in uetustissimo peristromate, etiamsi quædam parum habeant ingenij.

Treberis urbs multis bello quod compta triumphis,
Cum populis fortes quinq; subegerat urbes,
A quibus immensum consueuit tollere censum:
Quo locupletari cœpit nimis & dominari.

Picta urbs Treueris & circa illam, altera Roma.

Ciuitas Rau
racorũ Basilea.

Ciuitas Vangio
num Wormatia.

Ciuitas Mo
guntina.

Ciuitas Neme
tum, Spira.

Argentoratum ciuitas picta.

Ciuitas Vbiorum,
Colonia.

Infra ista, scripta sunt sequentia carmina.

Nini Semiramis quæ tanto coniuge felix,
Plurima possedit, sed plura prioribus addit.
Non contenta suis, nec totis finibus orbis.
Expulit è patrio priuignum Trebetam solo.
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.

Aufonius de Treuitorum urbe.

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit.
Treuericæq; urbis solium quæ proxima Rheno:
Pacis ut in medio gremio securã quiescat
Imperijq; uiros, quod alit quod uestit & armat.
Lata per extantum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella
Longinqua omnigenæ uectans commertia terræ.

Ciuitas

CIVITAS

TREVIRĒ

SIS DELINEATA

iuxta formam seu figuram quam

habuit anno ab incarnatione Christi 1548.

Situs & figura antiquissimæ & præcipuæ Mediomatricum ciuitatis Treurenensis.



De Gallia Saluianus de Treueri.

Treueris quater expugnata

Luxus reprehenditur.

Calamitas urbis.

SALVIANVS episcopus Massiliensis in libro sexto de uero iudicio & prouidentia dei multa scribit de magnificentia & opulentia huius ciuitatis, sed qua incolæ Christiani pessimè abusi sunt suo tempore. Scribit autē sic: Vidi ego Treueros, uiros etiam sublimes, calamitatibus suis factos peiores. Lugubre est referre quæ uidimus, senes honoratos & Christianos imminente iam ciuitatis excidio, gulæ ac lasciuæ seruientes. Iacebant in conuiujs obliuati honoris, obliuati ætatis, professionis & nominis sui. Principes ciuitatis cibo cōfecti, in uinolētia dissoluti, clamoribus rabidi, bachatione furiosi, &c. Et cū hæc ita essent, plus multo est quod dicturus sum, sinem perditioni huic nec ciuitatū excidia fecerunt. Nam expugnata est quater urbs Gallorum, Treueris opulētissima. Incredibile est quod loquor: Assiduitas calamitatū, augmentū illic fuit criminum. Sicut enim anguinū illud monstrum (ut fabulæ ferunt) quod multiplicabat occisio, ita etiam in Gallorū excellentiss. urbe, quibus ipsis coercerentur scelera, ijs crescebant, ut putares poenam ipsorum non aliud quæ matrem esse uitiorū. Ad hoc autē postremo rabida uini auaritate peruentum est, ut principes urbis illius ne tunc quidē de cōuiujs surgerēt, cum iam hostis urbē intraret. Vidi ego illic res lachrymabiles, nihil scilicet differre inter pueros et senes. Vna erat scurrilitas, una leuitas, simul omnia luxus, potationes, perditiones, cūcta omnes pariter agebāt, ludebāt, inebriabant, enecabant, lasciuiebant in cōuiujs uetuli & honorati, ad uiuendū propē iam imbecilli, ad uinum præualidissimi: infirmi ad ambulandū, robusti ad bibendū: ad gressum nutabūdi, ad saltandū expediti. Domi autē bibunt, ludunt, moechant, insaniūt, Christū negare coeperūt. Et miramur post omnia ista, si ruina rerum suarum passi sunt, qui tantō ante mentibus corruerunt. Nemo itaque urbem illam excidio suo tantum perisse credat. Vbi enim talia acta sunt, prius iam perierant, quam perirent. Inuehitur deinde episcopus sanctus in eos, qui post tot ciuitatis excidia, theatrum & circum in urbe quærebant, suntque hæc uerba eius: Circenses Treuirī desideratis? & hoc uastati atque expugnati, post cladem, post sanguinem, post captiuitatem, post supplicia, post tot euerse urbis excidia? Quid lachrymabilius hac stulticia? quid luctuosius hac amentia? Fateor miserimos uos esse, creduli cum excidia passi estis, sed miseriore uos uideo cum & spectacula postulat. PuTABAM enim uos in excidijs rem tantum atque substantiā, nesciebam etiam sensum atque intelligentiam perdidisse. Theatra igitur queritis, circum a principibus postulatis? Cui quæso statui, cui populo, cui ciuitati? Urbi exusta ac perdita, plebi captiua & intercepta, quæ aut perijt aut luget. De qua si quid etiā superest, totum calamitatis est, quæ cūcta aut moestitudine est anxia, aut lachrymis exhausta, aut orbitate prostrata: in qua penē nescias fors cuius sit peior ac deterior, interfectorum aut uiuentium. Tantæ enim miseriæ sunt superstitum, ut infelicitatem uicerint mortuorū. Ludicra ergo publica Treuir petis? Vbi quæso exercenda? An super bustum & cineres? super ossa & sanguinem peremptorum? Quæ enim urbis pars his malis omnibus uacat, ubi non cruor fusus, ubi non strata corpora, ubi non concisorū membra lacerata? Vbiq; facies captæ urbis, ubiq; terror captiuitatis, ubiq; imago mortis. Iacēt reliquiæ infelicissime plebis super tumulos mortuorum suorum, & tu Circenses rogas? Nigra incendio est ciuitas, & tu uultum festiuitatis usurpas? Luget cūcta, tu lætus es? Insuper etiā illecebris flagitiosis deum prouocas, & pessimis superstitionibus iram dei irritas. Non miror planē non miror, euenisse tibi mala quæ consecuta sunt. Nam quia tua te excidia non correxerunt, quartō perire meruisti. Hactenus Saluianus. Quæ ob id induxi ut uideas lector, cur florentissima olim Galliarum prima urbs, hodie ad huc tot habeat ruinas & uetustatis monumenta. Caterum quando archiepiscopatus eius fuerit institutus alijs excutiendum relinquo. Habet is sub se comprouinciales & suffraganeatus titulo sibi coniunctos episcopos, Metensem, Tullensem & Virdunensem.

Metis

Metis.

Est Metis antiquissima ciuitas, quam Mediomatricum uocant ciuitatem: nam populi Mediomatrices eam regionem incoluerunt: sic dicti, quod metropolis eorum medium teneret locum inter has tres ciuitates, Tullum, Virdunum, & Treuerim. Habet autem Metis Treuerim ad septentrionem, Tullum ad meridiem, & Virdunum ad occasum. Scribunt quidam Metim sic appellatam à Metio Romano, qui hanc urbem à Iulio expugnatam ampliavit & muris cinxit. Habet solum fœcundum, agros & uinas supra modum fertiles, qui alluuntur à præterfluentibus amnibus Mosella & Selna. Videntur incolæ utraq; lingua, Gallica & Germanica. Situm ciuitatis libenter huc pinxissim, sed non potui obtinere ab eius magistratu.

Lutecia Parrhisiorum urbs.

Scribit Ioannes Baptista Pius in annotationibus posterioribus de Parrhisio in hunc modum: Didici à Boëtio Seuerino ciuitatem illam celeberrimam, quam uulgò Parrhisium uocant, à Iulio Cæsare conditam esse, atq; uocatam lulam urbem, musæo hodie florentissimam, & populo numerosissimam: de qua Archiremius poëta ingeniosus. Anglus luculenter & graphice his panegyricis scribit uersibus:

Exoritur tandem locus altera regia Phœbi
Parrhisius, Cyrrea uiris, Chrysa metallis:
Græca libris, Inda studijs, Romana poëtis,
Attica philosophis, mundi rosa, balsamus orbis
Sidonis ornatu, sua mensis & sua potu
Diues agris, fœcunda mero, mansueta colonis
Messe ferax, inoperta rubis, nemorosa racemis
Plena feris, fortis domino, pia regibus, aura
Dulcis, amœna situ, bona quolibet omne uenustum
Omne bonum, si sola bonis fortuna faueret.

*Eustathius de Knobelsdorff Prutenus de laude
& splendore Parrhisiorum.*

Erigit excelsos muros regina locorum
Turrigerum latè conspiciturq; caput
Oppida diuitibus circum famulantia uillis
Ad nutum dominæ pinguia rura colunt
Illa ferunt animus quicquid desiderat urbis,
Quicquid auet strepera garrulitate forum
Ac spacium in medio quod fluminis unda locauit
Legitimus primæ terminus urbis erat
Insulaq; heu, tenui decus orbis limite cinxit
Non secus ac tenerum fascia prima Iouem.
Sequana fœcundis Heduorum collibus ortus
Magnas exiguis fontibus haurit opes
Diuiditur medius, nudoq; fit insula dorso
Insula perpetuis lusibus apta iocis.
Diuisus mediam duplici meat amne per urbem
Parte renitentes spectat utraq; domos
Dij quantas ædes? dij quanta pallantia lustra?
Vix ea Roma tuis inferiora puto.
Inde subit quinos sed non sine pondere pontes
Ardua structuris quos monumenta grauant.

*Commendatio
excellētissime
urbis Parrhisio-
riorum.*

*Lutetia regina
inter multa op-
pida sibi scrui-
entia.*

*Insula quæ fa-
cit Sequana,
primus urbis
situs.*

*Insule alie lu-
sibus aptæ.*

*Pontes habita-
biles instar
platearum.*

Arx regia ma-
gnificenter ad
Sequanā con-
structa.

Populositas
Luteciae.

Numerus uico-
rum urbis Pa-
risiensis.

Lutecia excel-
lit magnificas
quasq; urbes.

Omnia Lutec-
iae uenalia.

Opes & uires
Luteciae.

Origo urbis
Parisensis.

Alcuinus pri-
mus parisensis
studij institu-
tor.

Esse neq;e pontes, mo heat nisi fama, plateæ
Effigiem referunt, tergora saxa præmunt.
Stant utrinq; domus, solida tellure locatas
Quis putet, occultis Sequana transit aquis.
Mox ubi collectus muros excedere tentat
Magnanimi spectat nobile regis opus
Aula decens cultu, magnis operosa columnis
Lucida marmoreis turribus astra petit
Regibus apta domus, quoties inuisere partes
Has placet, & populis reddere iura suis
Excute cunctarum diuortia flexa uiarum.
Nullus in hac dices angulus urbe uacat
Si spacium uideas, urbem non esse sed orbem
Congestas mundi dixeris esse domos
Sin cœtum populi, certè mirabere, quæ nam
Terra queat tantum sustinuisse gregem.
Tot iuuenes, tantam quoties considero turbam.
Huc reor humanum penè coisse genus
Quingenti quamuis scindant hæc oppida uici
Quos aliquo dignos nomine fama putat
Perpetuo cunctos uideas trepidare tumultu
Omnis multiuagum semita murmur habet
Præ turba uix est homini uia peruia, segnes
Cogimur hærendo neçtere sæpe moras.
Parisus urbs, cœtu ueteres excellit Athenas
Non Ephebo cedit, non tibi clara Rhodos.
Nec quamuis gemino sis æquore clausa Corinthus,
Accumuletq; tuas plurima classis opes.
Deficiunt nunquam Cerealiamunera turbam
Hic uelut in cornu diuite cuncta fluunt.
Quicquid auent oculi, quicquid mens optat emētis,
Illecebrę quicquid maximus orbis habet
Quicquid enim tellus, labor, ingeniumq; parauit
Huc uelut in certum confluit omne penu.
Et aliquid tantum populi uidisse, tot urbes,
Ingento summos conciliasse uiros.
Fertilis ipsa suas uix nouit Gallia uires
Tantum præ reliquis illi uigoris habet.
Semina quis primùm uenturæ iecerit urbi
Me latet, ex diuis elicienda fides.
Urbs uetus est, author longis intercidit annis,
Credibile est aliquos hanc posuisse deos.
Auspicio tam felici, tam diuite creuit,
Floruit & multis inçlyta temporibus.
Ecce senex quidam uarijs agitatus ab austris
Attulit optatos in loca Gallia pedes.
Nomen adhuc meminit quamuis cariota uetustas
Alcuinus meritum posteritatis habet
Quas posuere scholas superare palatia regum
Structuris, spatio sumptibus, arte putes.
Centum Mygdonio collegia stantia saxo
Magnificas cingunt conspicienda domos
Singula mille strepunt post tintinabula linguis
Inceptum uario murmure feruet opus

Ciuitas

CIVITAS


PARISIË

SIS DELINEATA SE
cundum situm & figuram quam habuit hoc

Christianno 1548. intra & extra mœnia. Interiora quæq; eius ædificia &
infiniti uici in tam angusto spacio omnes explicari nequie-
runt. Sat fuerit, uidere urbem trifariam per Sequa-
nam distinctam, atq; per pontes
rursum coniunctam.

Nomina quorundam ædificiorum,
 que suis quibusq; locis ob spacij an-
 gustiam signari nequiverunt.

A Sorbona. B Palatiū re-
 gis. C Prætorium.
 D Summum templum.
 E Via ad Picardiam.
 F Porta & uia S. Dionisij.
 G Porta & uia S. Martini.



De Gallia Suesson.

Est Suesson ciuitas episcopalis, ubi diuus Medardus sub Clotario rege episcopus fuit. Habuerunt olim reges Franciæ in hac urbe, ut scribunt historici, curiam suam.

Ambiani.

Ambianensium ciuitas in Picardia sita, sic appellata est ab Imperatore Gratiano, eo quod aquis ambiatur. Antea uero dictam uolunt Sammonobriam, extructamque ab Antonino Pio & filio eius Aurelio.

Aurelia.

*Coenoman-
ni:* Anno Christi 276. hæc urbs cõstructa & denominata est ab Aureliano, positaque ad ripam Ligeris amnis. Attila rex Hunorũ statuenteã, deuictis & excisis Remensibus, obsidere ceu opulentissimã. Et quũ illuc castra mouisset, traiecto Sequana fluuio, tãta uero oppugnationem adoritur, ut nil magis anhelare uideretur. Hanc Cœnomannorũ uetustam urbem uolunt fuisse, non minus opibus quã munitione populorum præstante. Quãuis autem hostis arctissima circũuenit obsidione & admotis machinis grauius oppugnaret, parũ tamen profecit. Nam oppidani neque deditio, neque muneribus, neque cõditione aliqua hostilẽ salutem sedare posse sperabãt. Cõfirmabant opinionẽ, finitimorũ exempla. Vna obfirmatis spes erat animis, aut fortissimo resistẽdo se tueri, & longa barbaros obsidione defatigare, aut si aliter acciderit, pulcherrimẽ mori, ut iactura corporum animos à morte redimerent.

Tungri.

Est Tungrorũ ciuitas in Brabãtia haud procul à Traiecto superiori distans, fuitque olim celebris locus, quum diuus Seruatius ibi episcopi fungere officio. Sed quũ Huni in Germaniã irrupissent, & ciuitatem istam unã cum alijs oppidis deuastassent, trãslatus est episcopatus ad Traiectũ. Deinde anno 710. idem episcopatus sub diuo Ruperto translatus fuit Leodium, ubi adhuc est.

Sequani, Lingones.

Alexia. Hedui & Sequani fuerunt olim populi habitantes in Burgundia, in regione ubi modo ciuitas est Diuionis, quã Germani uocant Dision, & quam Maximilianus Cæsar ante aliquot annos oppugnauit. Nec multum abfuerunt ab his populis Lingones, apud quos olim fuit inexpugnabilis illa ciuitas Alexia, quam Iulius Cæsar non sine magno sudore terræ æquauit.

Præmonstratum.

Iuxta oppidum Laudanũ haud procul à Picardia est locus qui uocatur Præmonstratũ, ubi anno Christi 1120. ordo Præmonstratensium fuit inchoatus, sub celebri uiro Nobertho, Gestant huius ordinis monachi habitum per omnia album.

Pictauorum urbs.

Academia. Pictauiã quæ à Ptolemæo Augustoritum uocatur, urbs est antiquissima, insignis & metropolis totius comitatus Pictauorum siue Pictonum. Floret in ea famosa uniuersitas, maxime studium iuris ciuilibus, obtinetque secundum locum post Parisiensem academiã. Urbem circumdat Clauus fluuius, qui in Viennam labitur. Extant in illa monumenta & reliquæ quædam miræ antiquitatis: ut, uetus quoddam theatrum, & quidam ductus aquæ iuxta urbem, & in ipsa urbe, arces appellati, quos quidã adhuc hodie uulgari lingua Le duc uocitant, ab illo scilicet ductu aquarum. Vnde autem originem traxerint Pictones, satis liquet ex annalibus Aquitanicis.

Vrbis

Vrbis Bituricensium descriptio per

Theobaldum Fagotium Bituricum.

Bituris quæ & Auaricum à Cæsare appellatur, Gallie Aquitanicæ urbs est, omnium Biturigū metropolis, tantæq; amplitudinis, ut reliquas totius Gallie urbes, paucis exceptis, facile sua superet magnitudine. Sita est in solo palustri, fereq; omnibus ex partibus flumine & palude circumdata. Sunt qui putant ipsam à duabus turri-



bus sic dictâ, quasi Bis turris. Siquidem olim *Bis turris.* duas habuit turres, à duobus fratribus qui in ea regnabant (si ueteribus qui de ea scripsere credimus) ædificatas, quarū una adhuc extat, ingens & rotunda, tantoq; artificio extructa, ut arx sit uix ullis machinis expugnabilis. Populi ipsi Bituriges olim quoq; Cubi dicti sunt, ut testat Plinius, liberi sicut pleriq; alij populi in Gallia, sed posteris temporibus à regibus Galliarū in seruitutē sunt redacti. Ager extra ciuitatem est ualde frugifer atq; omniū ferè rerum quas Gallia habet fertilissima, ubi nil desiderari potest. Huius urbis uetustatem testatur egregia quædam monumenta quæ in ea uidentur. Frequentiam uerò commendat

omniū rerū mercatura & nundinationes quæ ibi exercent. Et si de eius celebritate aliquid audire uelis, en habes ibi academiā in omni disciplinarū genere ornatissimam, ante multos *Academia.* annos à duce quodā, qui Biturigibus imperabat, erectam, sed hætenus à uiris clarissimis tam sedulo excultam, ut iam iam literarum decus, atq; doctissimorū uirorū emporium merito dici possit. Siquidem illic Theologorum schola non mediocris est, in qua sacrarū literarū professores habes, qui suis lectionibus, disputationibus, crebrisq; concionibus de religione Christiana atq; pietate bene merentur. Illic philosophiæ studium uiget, illic medicina suos habet peritissimos professores, illic inter reliquas disciplinas iurisprudētia maxime floret, tum professorum, quos excellentes hætenus habuit, opera, tum auditorum, qui undiquaque illuc confluunt, frequentia.

Tolosa.

Tolosa urbs quondā florentissima, ubi nobile templum gaza refertū antiqua fuerat, quam si quis attigisset, exitu infelici plectebatur. Compertum id in Cepione alijsq; ducibus Romanis: ex quo prouerbiū in his quæ causa sunt aduersitatis, *Aurum Tolosanum.* Hæc urbs Gothorum sedes diu fuit, deinde à regibus Gal-



lorum pulsī, intra Hispaniam se continuere. Siquidem Theodoricus rex & Thorismūdus filius eius Tolosæ sedem habuerunt. Elegerunt eam tanquā uenustissimam & opulentissimā, idoneamq; amplificando conseruandoq; imperio. Tectosa gum urbs quondam fuit, quos in expeditionis societatem aduersus Delphos uenisse Historici memorant. Posidonius refert Tolosæ pecunias quindecim millium talentū fuisse, easq; partim in templi penetralibus, partim in consecratis lacubus fuisse reconditas, quæ multos apparatus haberent, aurum & argētum inelaboratum & rude fuit. Templum Delphicum eo tempore exinanitū, fuisse talibus ornamentis à Phocensibus antè spoliatum, quo sacrum bellum commissum est. Erat etiam quondam Tolosæ templum sanctitatis eximia, quod finitimi peculiari quadam ueneratione colebant, & ex collata quotannis pecunia, multis muneribus abundabat, quæ nemo tangere audebat.

Aurum Tolosanum.

De Gallia
Narbona.

Prouincia:

Narbona antiquissima ciuitas, in qua tempore Strabonis amplissimum fuit emporium, & à qua tractus illius regionis dictus fuit Narbonensis Gallia, seu Narbon. prouincia: hodie uero appellat Prouincia, cuius pars est Langendoccken.



In ea terra solū est tam fertile, ut sua spōte aut modico labore cultum, multos nobiles proferat fructus. Ibi tanta ficorū prouenit copia, ut bona pars Europæ hinc ficus & uua passas seu compressas petat. Ibi arbutula illa odorifera, quam uulgò Rosmarinum appellamus, & quæ semper uides habet frondes, tanta copia in campo crescit, quantum apud nos iuniperorum frutices. Crescunt ibi quoque maiores castaneæ quàm alibi locorum in Europa. Quin & poma citrina, mala punica, & mala granata uberius ibi quàm alibi crescunt atque ad nos deferuntur. Plantantur ibi nobilissimæ uites, quæ & generosissimum proferunt uinū, quod apud Basilienfes pro Corsico bibitur.

Massilia.

Nobilis Prouinciæ ciuitas Massilia in ititū sumpsit tempore Tarquinij Romani regis, quingentis scilicet annis ante Christum natū, Phocensibus prima urbis inuentibus fundamenta. Quum enim solum eorum sterile non suppeditaret ipsi uictus sufficientiam, coacti sunt aliam sibi quærere commodiorem mansionem.



Phocenses conditores Massiliæ.

Sunt tamē qui scribunt, Medos expulisse Phocenses de sedibus suis. Qui cum Romam uenissent, conciliassetque cum senatu amicitiam, profecti sunt coeptum maris iter, donec uenerūt ad ostia Rhodani: & ibi inuenientes littus solidum saxeamque & iuxta illud agrum fertilem, non parum exhilarati sunt, redeuntesque domum, narrauerunt suis qualem inuenissent terrā. Quibus plurimi è populo iuncti festinarūt ad dictum locum, coeperuntque condere urbē Massiliensem. Docuerunt etiam uicinos Gallos, qui in magna & rustica simplicitate uiuebant, quomodo ciuilem instituerent uitam, colerent terram, putarent uites plantarent arbores, habitaculaque cingerēt muris. Vsi sunt autē aliquamdiu Phocenses in hac aliena terra lingua sua natiua, Græca scilicet, sed postea mutauerūt & linguam & mores. Scribit Strabo regionē illam ferendo uino & oleo accommodatiorem esse quàm proferendo frumento: nam asperum habet solum.

Lugduni descriptio per C. Mylæum.

Scribit Strabo Lugdunum suo tempore fuisse alteram omnium Galliarum urbium nobilissimam & populosissimam, Narbone excepta. Et hodie quidem non in minorem excreuit magnitudinem, cum tantus sit moeniorū ambitus, colles duos & uinea ta cōplectens, ut ei paucissimæ Galliarum urbes anteponi possint. Magnus est ibi concursus externarum gentium, quas in hac urbe sedes collocasse uidemus, ut transferre omne mercium genus in quancunque orbis partem commodissime possint. Loci commo-



ditas ex anniū decursu apparet, quod in medio ferè Europæ posita sit. Amnes autè sunt Rhodanus ex Allobrogum & Alpiū montibus, Arar (Sagona hodie uocāt) ex Sequanorū finibus prouētes & iuxta Lugdunū confluentes, simulq; in mare Ligusticum decurrētes, mercibus exportādīs & importādīs accommoda-

Commoditas
situs.

tissimi. Hanc tantā loci opportunitatē Romani cū intuerentur, cæteris rebus studiosè ornarunt: nam in ea urbe argenteum & aureum numisma signare consueuerunt. E Lugduno Agrippa in cæteras Galliarum partes proficiscentibus aptissimè itinera distinxit, in Narbonensem Galliam, in Aquitaniam, in Lugdunensem & Belgicam. Tributa & uectigalia eò ex omni Gallia comportabantur, quorum fuit tantus proventus, ut una Gallia stabilimentum imperij existimaretur. Vnde Lugdunum tanquā sedes Romanis principibus constituta erat, ad quam per frequenter inhabitandi gratia se conferebant; & quā magnificis ædificijs & structuris amplissimis exornarunt. Seneca scribit tot puerissima opera in ea fuisse, ut singula illustrare urbes singulas possent. Cū autem Lugdunum tantis rerum incrementis auctum & confirmatum esset eo tempore quo Romanum imperium floruit, paulò post, ut sunt mortalium omnia magnis infortunijs atq; periculis exposita, tristissimum (incendio late peruastate) sui spectaculum edidit. Cuius rei memoriam Seneca, prudentissimus in aduersis rebus perferendis cōsultor, in epistola ad Liberalem uirū Lugdunensem literis commendauit. Vnius enim noctis incendium totam strauit urbem, ut una scilicet nox interfuerit inter urbem maximam & nullam: rāta fuit incēdij uis & celeritas. Extāt apud ueteres multa testimonia, olim in insula ipsam fuisse urbem, & inclusam Rhodano atq; Arare: quemadmodum & hodie uidemus uniuersam insulam ædificijs plenissimam, præter longissimum & amplissimum uicum, qui Araris decursum sequitur, ambitus moeniorum & collem, qui inter duos amnes medijs est, & montem ad Ararim complectitur. Illud putant nonnulli post incendium locum mutasse, quærentes salubritatem loci, & in monte supremo urbem ædificatā. Nam etiam hodie ruinæ structurarum late diffusæ inueniuntur, maximè ab ijs qui terram altius effodiunt: nisi forte, quod ueresimilius est, tantam fuisse urbis amplitudinem credamus, ut non aliter fuerit quā hodie uidemus, collem uicūq; & insulam uno ambitu moeniorum contentam fuisse. Insulam uocāt Chersonesum illam, quæ ex duorū amnium Rhodani & Araris concursu efficitur instar Deltæ Aegypti, quā Nilus diuisus in partes distinguit: in eo tamen est diuersa, quod illius unum latus claudit mare & amnium concursum coniungit: huius uerò difficiles & asperi montes alterum inter amnes finiunt terminum. In hunc itaq; locum Romani sub Augusto Cæsare coloniam traduxere, in insulam scilicet, quæ aut uetustate erat collapsa, aut inclinat ab ea celebritate & frequentia quam antea habuerat. Deducendæ autem colonie L. Plancus Munatius dux adlectus fuit, nobilis orator & Prætorius, Marci Tullij auditor, ut apud Eusebiū legitur. Idem quoq; Eusebius in libro qui est de ratione temporum refert, Plancum dum Galliam regeret Lugdunum condidisse, sicut & aliam coloniam, nempe Rauricam apud Basilienses deduxit, de qua infra in Heluetia. Huius deductæ Lugdunensis colonie locupletissimus testis est Plutarchus, qui sic scribit: Ibi nunc Lugdunum est, celeberrima Galliarum urbs, quam longis postea temporibus à Planco Munatio conditam accepimus. Extiterunt in hac urbe Antistites eruditi, & potissimū in sacris literis, quæ ex dē maximis incrementis eorum opera auctæ sunt. Pleriq; ex his editis ingenij monumentis, quæ

Pulchritudo
urbis.

Urbs olim in
insula.

Plancus Munatius.

h ad hanc

*Irenaeus.
Eucherius.*

ad hanc aetatem adseruata sunt, innotuere. Celebres nominantur Irenaeus & Eucherius, quorum sedem primariam totius Galliae, quae Lugduni constituta est, obtinebant; & Eucherius quidem licet in maxima in temporum obscuritate incidisset, dicendi tamen elegantia & sententiarum grauitate, unus omnium maximè excelluit. Faustus quoque Lugdunensis postea clarus habitus est, quantum per obscurorum temporum sortem fieri potuit.

Arelatum.

Arelatensis ciuitas non multum abest ab eo loco ubi Rhodanus recipitur à mari, atque ab ea urbe totum regnum Arelatense nomen habuit. Sita est autem haec ciuitas in Prouincia ad occidentem, crescitque in solo eius plurimum frumenti, unde incolae non parum ditescunt. Adnauigant enim Genuenses ex Italia atque Hispani ab occasu, & auerunt frumentum, atque ob id semper est illis charum. Erectus est ibi olim archiepiscopatus, & celebrata tria concilia: primùm tempore Constantini Imperatoris & Syluestri papae. Alterum quoque sub eodem papa anno 326. Tertium uero anno 451. Habet urbs ista ad collem, clauditurque ab occidente Rhodano, ad orientem uero habet paludem magnam & ad austrum campum fertilem. Efficit enim Rhodanus ibi insulam



Insula Rhodani.

Regnum Arelatense.

quam Camargues uocant, quae quatuor ferè miliaribus Germanicis patet in longum & latum ferens frumentum & uinum atque pascua in copia. De regno huius urbis & regibus eius pauca inueniuntur. Inueni autem de ultimo eius rege, qui Boso uocatus fuit huiusmodi historia. Denunciavit rex Boso episcopo Arelatensi in uigilia natalis Christi, ne officium nocturnum in ecclesia celebraret, nisi ipso praesente. Episcopus autem cum aliquandiu cum clericis aduentum regis expectasset ultra consuetam horam, nec ille ueniret, profecutus est sacra. Et superueniens rex coepit exostulare cum episcopo cur non expectasset, commotusque dedit episcopo alampam in medio populi & clericorum. Quam iniuriam populus aegreferens, in tumultum est uersus. Deinde uero factum est, quum episcopus adisset Imperatorem, conquestusque esset quali contumelia rex ipsum coram populo affecisset, iratus Caesar iurauit per barbã suam, se ulturum hanc contumeliam, morteque punturum. Vnde collecto sine ulla cunctatione magno exercitu, ingressus est Galliam, obsedit & expugnauit Arelatum, cepit regem & aulicos eius, mandauitque regem decollari. Archiepiscopus uero una cum reliquis episcopis, abbatibus & principibus mitigans regis furorẽ, obtinuit sua intercessione, ut hoc sanguinis iudiciũ suspenderetur. Tunc ait rex, Non est æquum ut rectum Imperatoris iudiciũ executioni non mandetur, cum non conueniat uel ullum uerbum ex principis ore frustra egredi. Cumque de hac sententia multa uerba que fierent uerba, tandem decretum est, ut rex tonsus & regio titulo spoliatus truderetur in coenobium. Quo facto Imperator nempe Otto primus incorporauit perpetuò Arelatense regnum Romano imperio. Inuenit quoque Arelati iuuenem quendam monachum Floriacensem, Gilbertum nomine, qui post aliquot annos opera Ottonis tertij factus est papa, Syluester tertius appellatus, uir in liberalibus disciplinis impense doctus, quem inde colens, fecit paedagogum filij sui Ottonis secundi, atque postea praeceptorem nepotis sui Ottonis tertij, cuius opera sublimatus est in archiepiscopum Remensem, ac deinde in pontificem Romanum. Sed quia scientiam suam foedauit arte diabolica, pessimè audit apud Historicos. Vide Nauclerum uolumine secundo generatione 34. De Arelatensi regno inuenies quoque infra ampliorẽ fieri mentionem, quum illud extensum fuerit usque ad Heluetios.

Arelatum imperio incorporatum.

Auenion.

Haec urbs ad Rhodanum sita miras habet uetustates, fuitque ante aliquot annos habitatio Romanorum pontificum: nam Iohannes 22. Rom. Pontifex curiam suam illuc à Roma transtulit, mansitque ibi curia circiter 60. annos. Factus est autem Romae Pontifex dominus huius urbis hac occasione, ut scribit Michaël Ritijs. Fuit Regina

gina quædam Neapolitana Iohanna nomine, quæ debebat pontifici Romano ratione regni sui magnam uim pecuniæ, pro cuius solutione alienauit à suo dominio hanc urbem, tradiditque eidem Pontifici perpetuò possidendam. Scribunt id factum anno Christi 1360. sub Clemente sexto: de qua re infra in regno Neapolitano plura dicemus.

Allobroges qui hodie sunt Sabaudi,

olim Comitatum hodie uerò Ducatum constituentes.

Allobroges populi sic dicti sunt à rege quodam cuius nomen fuit Allobrox. quorum metropolis fuit Vienna ad Rhodanum sita, quæ hodie metropolis quoque est Delphinatus. Nostro itaque tempore per Allobroges accipimus Sabaudos, qui longius à Vienna habitantes ad Geneuam usque & Pedemontis extenduntur. Putantur autem nomen illud accepisse à Sabatis uadis ac populis, Ptolemæo & cæteris inter Alpes positis. Hi nunc agros tenent, qui quondam Voconiorum, Veragrorum, Caturigum, Cen-tronum, Lepontiorumque fuerat ad Alpes pertinentes. Fuit Sabaudia ante paucos annos Comitatus, sed qui supra modum creuit in populis & terris. Et licet comitibus istis accederent ducatus Augustensis seu Prætorianus atque Pedemontanus, non tamen arrogabant sibi titulum ducalem, sed contenti fuerunt titulo ueteri, quum ex numero essent quatuor Comitum Romani imperij, donec per Imperatorem in concilio Cõstantiensi declarati sunt duces. Ducunt autem originem à Cæsaribus & ducibus Saxoniz, præsertim Ottone secundo, annos prope quadringentos, propagataque est genealogia eorum usque ad Aimonem comitem, cuius filium Amedæum fecit Imperator in concilio Cõstantiensi ducem Sabaudiz. Qui defuncta uxore, relictaque ducatus cura Ludouico filio, cum paucis suorum secessit in agrum Gebenensem, studio rerum diuinarum, prope lacum Lemânnum cœnobio constructo. Deinde ob abstinentiæ claritatem nominis famam, inuitus in consilio Basiliensi Pontifex max. factus, mox cõcordiæ gratia sese sponte abrogas, Nicolao quinto sedente, cardinalis ac legatus remansit, simul cum his quos ipse cardinales prius creauerat. Huius filia Maria, Philippomariæ uicecomiti nupta, quod est uomica circa fœmina laboraret, uiro nunquam congressa est, quapropter eo extincto, cœnobio uirginum, quod ipsa construxerat sese dicauit, patris animum imitata. Ludouicus uerò Amedæi præfati filius, ex Anna Ianæ Cypri regis filia septem mares præter fœminas nonnullas genuit: quorum maior natus Amedæus aui nomen ac uirtutem referens, morbum comitalem, quo laborabat, usque ad extremum patienter tulit. Is rogatus quondam à quibusdam oratoribus, qui tunc aderant, si quos haberet canes uenaticos ostenderet, annuit ut postera die redirent. Cùm uerò adessent, Amedæus è pergula ingentem à latere ædium mendicorum multitudinem eis ostendit una discumbentium, atque Hi sunt, inquit, canes mei, quos alo quotidie, quibusque cœlestem gloriam me spero uenaturum. Ludouicus frater eius rex Cypri fuit, ducta in matrimonium Carlotta Iohannis regis Cypri unica filia, cum qua regnum, sine tamen possessione suscepit. Porrò Amedæus uxorem duxit Violantam Caroli septimi Gallorum regis filiam, ex qua quatuor suscepit mares, aliquot etiã fœminas, inter quos Philibertus patri succedens breui tempore sine coniugio Lugduni decessit. Carolus deinde frater rem tenuit, qui ex Blanca Montisferratensi Iohannem carolum, & Amedæum dictum genuit. Hic in puerili ætate decedens, Philippo patruo rem dimisit. Ipse postremò Philiberto filio ex Margarita filia ducis Borbonij prima uxore suscepto, qui à Maximiliano Cæsare nuper gener ascitus, Margarita eius filia in matrimonium accepta, ex hoc mûdo migravit. Porro cùm Philibertus non diu superuieret, ducatus administrationem reliquit Carolo fratri ex altera patris uxore suscepto, qui adhuc in uiuis est dum hæc scribo. Is duxit uxorem filiam Emanuelis regis Portugalliz, sorore uxoris Caroli Cæsaris, genuitque Carolum, sed qui puer obiit in Hispania, & Philibertum, qui uiuente patre suscepit principatum Pedemontanum. Porrò Ludouica ex prima uxore suscepta, nupsit Carolo comiti Angolessensi, genuitque Franciscum, qui postea factus est rex Franciæ, præfuitque nostro uero regno, ducens maternam lineam ex ducibus Sabaudiz, id quod genealogia hæc adiecta clare ostendit.


Sabaudiz unde.

Nobilitas ducum Sabaudiz.

Sabaudus rex.



Genealogia ducum Sabaudiaë.



Geneua.

Pons Hel
uetiorum.

HAEC urbs in Sabaudiaë regione sita, miram habet uetustatem, quippe cuius Iulianus Caesar meminit in primo libro de bello Gallico, asserens ibi pontem transisse ultra Rhodanum, qui suo tempore in Heluetiorum fuit potestate. Habet hæc urbs amœnum situm & agrum fertilem atq; uineta uberrima, ab imo surgens & protensa ad collem, ubi Rhodanus ex magno lacu, quæ ueteres Lemmanum uocauerunt, egreditur: suntq; duæ ciuitates nostris temporibus, in duabus Rhodani ripis extractæ, atq; ligneo ponte coniunctæ. Maior tenet latus meridianum, minor uero partem oppositam. Prodiunt historiae hanc urbem restauratam per Aurelianum Imperatorem, qui eam quoque à se uoluit appellari Aurelianam, sed retinuit uetustum uocabulum. Iacet ferè in medio regionis Sabaudiaë, multaq; passa est à ducibus & moderatoribus illius terræ, ius aliquod sibi in urbe uendicantibus, donec anno Christi millesimo quinto gentesimo trigesimo sexto liberata fuit per Bernates ab infestatione eorum. Sed de hac re audi Geneuates ipsos loquentes, à quibus habeo quæ sequuntur, & sunt sub picturâ ciuitatis signata.



Ciuitas



r d

Latus Meridionale.

Franciscus Boniuardus domi-

no Sebastiano Munstero.

Gratiam, salutem & pacem à domino. Retulit mihi domine Munstere, dominus Calanus isthinc rediens, te à me desiderare epitomen earum rerum, quas nunc scribo de Geneuatibus: quod utinam tam dextrè possèm quàm libenter desidero, & nuncijs, & tua & rei ipsius causa, quam silentio obliterari profecto esset indignissimum, quæ præter omne humanum consilium, omnemq; humanam expectationem sola diuina prouidentia ad effectum perducta est, quod ex serie nostræ historiz post hac satis apparebit: cuius summam quàm breuiter poterò tibi perstringam, omnem omis-
sa præfatione, ne caput amplius sit reli-
quis corporeis partibus.

Vrbis Geneuensis descriptio.

De origine huius urbis nihil habeo quod pro uero ausim asserere, quamuis multa passim de ea dicantur, quæ quia historica ueritate indigna censeo, præmittam, tibi satisfactum existimans, si de eius statu tibi exarem ab eo tempore, cuius nobis memoria est relicta. Et (ut tempus scias quo aliquid in memoriam proditum est) id est ab anno salutis 1124. quo anno inueniuntur chartæ, pacis cuiusdam confortatio per archiepiscopum quendam Viennensem, inter quendam episcopum, qui & erat princeps prophanus Geneuæ, nomine Humbertum, & comitem eiusdem urbis nomine Aymonem, qui contendebant de imperio urbis, quæ contentio durauit usque ad tempora nostra, quando dux Sabaudiz patriâ & imperio priuatus est. Mortuo autem Humberto episcopo & durante contentione, successor eius adiens Cæsarem Fridericum primum, obtinuit ut ipse solis Geneuæ principatum

Contentio pro Geneua impetio,

h + patum

Episcopus o-
lim princeps
Genevæ.

Sabaudus inhi-
at urbi.

Geneva subijci-
tur à Papa Sab-
audo.

patum obtineret regali iure, neminiq; in prophanis subesset præter Cæsari, ab omni tribu-
to liber. Sed ubi domum reditum est, episcopus, coniuente forsan Cæsare, priores mole-
stias rursus perferre coactus est, quousq; tandem comes quidam Guilelmus nomine ob
contumaciã suam imperiale incurrit bannum, & priuatus fuit feudo quod ab episcopo te-
nebat. Durante uerò multo tempore bello, deficienteq; episcopo & ciuitate uiribus, ac-
cesserunt quendam comitem Maurianensem, qui postea comes Sabaudix effectus est.
Inter hos uerò diuersa quoq; secuta sunt bella, adeò ut Sabaudus multa oppida, uicos, ar-
ces Geneuatum occupauerit, donec fieret Geneuæ contiguus, nec his contentus, quæ titu-
lo suæ infeudationis occupauerat, flagrauit sibi & belli impensas refarciri. At episcopo
respondente sibi satisfactum de his quæ iure feudi ab eo dati acquisiuerat, multæ hinc in-
de natæ sunt controuersiæ. Et maior pars populi timens ne Sabaudus irritatus pacem in-
iret cum hoste communi in eorum perniciem, tractauerunt cum eo ut & ipse omnia in ea
ipsa urbe possideret quæ antea comes Geneuensis, idq; iure hypothecæ. Sed ubi ille pedem
fixit in urbe, matorem prædecessoribus exercuit tyrannidem: Canonici ergo aliquot cum
ciuibus contra eum conspirantes reuocauerunt comitem suum antea eiecctum, qui ueniens
cum militari manu à Sabaudis urbem tenentibus uictus est. Tunc Sabaudi coniuratorum
domos inuadentes, quos potuerunt comprehenderunt atque supplicio affecerunt. Dura-
uit dissidium istud usquequo defecerunt comites Geneuenses, & eorum ditio peruenit ad
Sabaudix principes. Tandem uerò Amedæus princeps petrus subesse episcopulo, fat-
egit ascendere supra illum. Nam impetrauit à Carolo quarto Cæsare uicariatum imperia-
lem in tota sua patria, eoque titulo uoluit ut sibi subesset Geneuensis episcopus cum tota
sua ditione, sed cum ille comiti resisteret, mansit episcopo sua autoritas & populo sua li-
bertas usq; ad tempora Amedæi octauæ, prioris Amedæi nepotis, qui fuit primus dux Sab-
audix & demum electus in Romanum Pontificem, dictus Felix. Ille impetrauit à Pontifi-
ce Martino temporalem iurisdictionem in Geneua & eius ditione, sed quam exequi nequ-
uit, sicut nec posterius eius, potissimū autē Carolus princeps, qui paucis ab hinc annis à suis
aulicis persuasus, inuadere tentauit Geneuam & Losannam, actū fore putās de statu suo,
si hæc dux ciuitates in medio ditionis eius, ab eius imperio liberæ remanerent. Nam hoc
pacto (sic enim arguebant) possent & aliæ ditionis eius ciuitates ab eo deficere, & more
Heluetiorum proprias erigere Respublicas. Huic eius instituto episcopus quoque Gene-
uensis non parum fauebat, quippe qui ducis precibus pōtificatum obtinuerat, & de fami-
lia ducum (ex latere tamen) prognatus fuerat, tandemq; ex ipsorum insolentia & insulta-
tione factū est, ut & episcopus suo priuaretur Pōtificatu & dux excluderetur magna par-
te ditionis suæ.

Vifontium.

Vifontium nunc Bisontium & uulgo Bisantium, metropolis Burgundiæ, ubi plu-
ra ueterum ædificiorum uestigia cernuntur. In eius agro est locus, Salinensis di-
ctus, ubi duo sunt fontes, alter aquæ dulcis, alter ut sal igne densatū conficiunt,
candore præstans, ac maximum eius nationis uēctigal. Aliud iam nihil habeo,
quod de hac urbe hic scribam, quod ad meam frequentem sollicitationem nihil sit missum.

Quorundam ueterum nominum Gallicæ

nationis interpretatio, relata ad moderna tempora.

- Parisius & Parisij populi, hodie quoque Parys, olim Lutetia.
 Rhedon & Renes metropolis & ciuitas episcopalis in Britannia.
 Carnutum olim, hodie Chartres, ciuitas episcopalis, non procul a Lutetia distans.
 Treas ciuitas episcopalis, quam Galli Troiam in Campania siue Schampania uocant.
 Cathalanum, Gallicè Schalon.
 Lingon & populi Lingones, Gallicè Langres, ciuitas episcopalis in Burgundia.
 Blas & Blaxis, residentia regum Galliarum iuxta amnem Ligerim.
 Borbon ducatus in Auernia, Oueringen.
 Lemmouaces, Limosins.
 Rothomagus, Roan, metropolis Normandiæ.
 Mons Pessulanus, Montpolier in Prouincia.
 Augustodunum, Heduum in Burgundia.
 Sedunum, Sitten metropolis & ciuitas episcopalis in Valesia.
 Octodurus, Sanctus Mauritius, oppidulum & infimus locus Valesiæ, uel secundum alios
 uicus Martinacht, ubi adhuc aliquot uetustates inueniuntur.
 Eburones, populi iuxta Leodium super Mosam.
 Niuedunum, Niuernia.
 Nouiodunum uel Neuidunum, Neuis, oppidum iuxta lacum Lemannum haud procul a
 Geneua in monte situm.
 Garumna, fluuius Garon.
 Santones, Xantonge.
 Pictones, Puttiers.
 Cadurcenses, Cahors.
 Augustonometum, Neuers.
 Biducenses, populi in Normandia.
 Cennenimontes, montes Cebena.
 Morini, populi circa Calles habitantes.
 Ligeris fluuius Loire.
 Atrebates, Arras, Artois.
 Visontium, Bifantz, Befanson.
 Lugdunum, Leon.
 Menapij, Geldri uel Cluenses.
 Mediomatrices, Merenses.

De regionibus & fluuiis Galliarum,

quomodo nostro tempore appellantur.



Scribit

Scribit insignis Cosmographus Strabo, quod & res ipsa comprobat, Galliam ubique allui fluuijs, ijsq; pro magna parte nauigabilibus, quales sunt Rhodanus, Ligeris, Mosella, Mosa & Sequana. Isti & alij minores, partim prodeunt ex Alpibus, partim ex Pyreneis montibus, qui Hispaniam dissecunt à Gallia, & partim ex monte Cemmeno, qui ad Lugdunū ferè pertingit. Quidam fluuiorum cursum tenent uersus aquilonem recipiunturq; à mari Anglico, alij labuntur ad Austrum, exoneranturq; in mare Mediterraneū, id quod in magnā regni cedit comoditatem, quum hoc pacto merces facile ab uno mari ad aliud transferri possint. Notandum uerò h'ic, Mosam & Ararim, quem hodie Sagonā appellant, ab uno oriri mōte, cursum uerò fieri ad diuersas plagas, puta ad austrum & septentrionē. Quapropter olim terræ illius dominus motus, uoluit perfodere montem atq; hæc duo flumina connectere, quo liceret sine difficultate nauigare ab uno mari ad aliud. Sed institutū istud paulò pressius animo receptum, cœpit prudentioribus displicere, quippe unde multa mala emergere possent, sicq; intermissum est. Haud dissimile propositum habuit olim Carolus magnus Imperator, qui duo flumina Altmūl & Regentiam prope Nurnbergā in Germania cōiungere uoluit, quemadmodum suo loco fusius explicabo. Rhodanus fluuius Galliarum omnium maximus ac rapidissimus ex Alpibus per fines Allobrogum uersus occidentem in lacum Lemannū fluit, multasq; in superiori ualea cecidit cataraclas, plerumq; ob præcipitum in petrosis locis in spumam resolutus, magno strepore & fragore ex Alpibus descendit & alluit totam ualeam. Geneuæ uerò rursus lacum egrediens institutum cursum seruat usq; Lugdunū, inde conuersus in Austrū tribus ostijs in mare Gallicum desinit. Regiones particulares in Gallia nostro uo sunt istæ, magis scilicet & paræ: Aquitania, Gasconia, Britannia, Turonia, Normandia, Picardia, Francia, Limosis, Auernia, Burgundia, Lotharingia, Prouincia, Delphinatus, ducatus Barensis, ducatus Berry, ducatus Borbonix, Campania, Langendock, ducatus Sabaudia, &c. Hæc regiones omnes utuntur lingua Gallica præter Britanniam quæ propriam habet linguam, tametsi uarium habeat delectum. Sabaudica & Lotharingica rudior est reliquis. Sunt autem memoratæ regiones omnes sub corona Franciæ præter Sabaudiam, Lotharingiam & partem Burgundiæ, quæ Romanum agnoscunt imperium. Sub Conrado enim Imperatore qui successit Henrico sancto, regnum Burgundiæ quod centum & triginta annis Francis paruerat, subiectum est Romano Imperio, redactumq; in prouinciam, etiam si bona pars adhæserit Francis. Ante memoratum tempus, habuit regnum Burgundiæ sub se Sabaudiam ultra Rhodanum, & quicquid est citra Rhodanum, ut est Delphinatus & comitatus Valentis, qui in hodiernum usque diem feuda sunt imperij. Delphinatus hodie est principatus, qui consensu regis debetur primogenito suo aut principi sibi in regno successuro. Est enim hic principatus proximior gradus ad regale fastigium: siquidem moriente rege, Delphinus in locum eius succedit. Hic Delphinatus fuit anno 1349. à Delphino Humberto (ab alijs uocatur Imbertus) uenditus regi Galliarum consentiente Imperatore Carolo quarto, modo primogenitus regis feudum eius suscipiat ab imperio. Ante tempus illud Francorum reges nihil iuris habuerunt in Delphinatu.

Anno Christi 1306. alienauit à se archiepiscopus Lugdunensis Lugdunum ipsum, comitatusq; in competentem censum seu redditum. Notabis quoque h'ic, Burgundiam ante tempora nostra diuisam in duas partes, una quæ scilicet Campaniam contingit remansit apud Gallos, & altera quæ Bisantium usque pertingit, Romanum imperium & domum Austriæ adhuc agnoscit. Et quamuis pars prior post interfectum Carolum ultimum ducem Burgundiæ Maximiliano duci Austriæ competeret, qui filiam habuit eiusdem Caroli, præoccupata tamen est à rege Galliarum atque plurimum sanguinis ob eam causam effusum.

Lotharingia antea cum reliquis quibusdam regionibus Austrasia dicta, sortita est hoc nomē à Lothario nepote Caroli magni, incorporataq; Romano imperio sub Ottone primo. A Carolo enim magno usque in generationem quintam posterius eius simul gubernarunt Franciam & Germaniam, aliquando per distinctas personas sed sanguine iunctas, aliquando etiam per unam personam. Extincta autem in quinta generatione tota posteritas te saltem uirili Caroli magni, Galli proprium sibi elegerunt regem, Germanis relicto imperio, quod prius & Gallis & Germanis cōmune fuit. In illa autem imperij scissione Otto

Rhodanus fluuius.

in lingua
Gallia.

Burgundia.

Delphinatus.

Burgundia diuisa.

Lotharingia à Lothario.

dux S
xit ad i
explic
nia uer
quoque
bunt.
plicui
uincia
Fland
cepit, p
Carun
Regnu

F

prata, p
Quam
cus und
rati sunt
pulus, n
De N
ciuitate
Habet
mum, p
tes merc
tas gent
n

dux Saxoniz factus est Romanorum Imperator, qui Lotharingiam & Burgundiam reduxit ad imperium, de quo infra latius differemus. Hic restant nobis adhuc aliqua uocabula explicanda, quæ breuibus absoluemus. A Lothario uenit nomen Lotharingiæ. Britannia uerò sic dicta est à Britannis, ut supra in Anglia commemorauimus. De Normandia quoque iam diximus. Aquitania ab obliquis aquis Ligeris sic dicta est, ut quidam scribunt. Francia uerò à Francis populis Galliam occupantibus dicta est, ut iam quoque explicauimus. Picardia à Picardis populis dicta est, sicut Turonia ab urbe Turone. Prouincia autem in qua Massilia est sita, à Romanis hanc appellationem accepit. Flandria à Flandra muliere, uxore Luderici primi gubernatoris, qui anno Christi 782. fuit, nomē accepit, prius quàm Flādria ad comitatū ascendit. Guasconia siue Vasconia secernitur per Garunnam siue Girundam fluiū ab Aquitania, appellataque fuit tempore Caroli magni, Regnum de Vasconia.

De fertilitate regionum Galliz.

FVit Gallia ab antiquis temporibus semper culta, tam in urbibus & oppidis quàm in agris, hortis & pratis. Et ut Strabo scribit, qui tempore incarnationis Christi uixit, nullus tunc fuit angulus in Gallia incultus, præter lacus & nemora quæ culturæ non admittunt. Potissimū autem Prouincia, Langendoc & aliæ regiones mediter-



neo mari propinquæ, miræ sunt fertilitatis, ut etiam ibi Cupressi & rosarina passim per cāpos crescāt sua spōte, sine omni humana sollicitudine, haud secus quæ in hisce partibus crescunt iuniperi. Mala punica, granata & citrones nullibi frequentiora sunt quàm in Prouincia. Deinde quàm nobile in illis partibus crescat uinum imò per totam Gallia, quæ tot irrigatur & fœcundatur annibus, dici non potest. Sunt apud nos satis nota uina Burgundica & quæ in Prouincia nascuntur. Quomodo posset Aquitania tot insignes sustinere ciuitates, ut sunt Lugdunum, Burdegalis, Lemouica, Tholosa, Carcassona, &c. nisi nobilissimū haberet fundum, aptū ad ferendū in copia uinum, uires, frumentum, oleum, frugiferas arbores, fontes, flumina aquarum, prata, pasqua, pecora, nemora, & similia, quibus indiget humana uita ad sui sustentationē. Quam ferax sit ager Parisianus, poteris hinc colligere, quum uice quadam rex Ludouicus undecimus scire uellet, quot armatos uiros Lutetia producere posset in agrum, numerati sunt septuaginta millia uiroꝝ procedentium ad militiam. Vbi autem multus est populus, necesse est ut fœcundum habeant agrum unde eis sufficiens suppetat uictus.

Aquitania

De Normandia quoque scribitur, quod præter metropolitanam & alias sex præcipuas ciuitates, habet nonaginta quatuor minora oppida, uicos quoque & castella sine numero. Habet rex Galliz Rothomagi in metropolitana Normandiæ ciuitate senatum doctissimum, prudentissimosque uiros, qui toti prouinciæ ius dicunt. Sunt enim in ea urbe potentes mercatores, ob quorū traiectiones & mercaturas, nomen urbis longè lateque apud multas gentes est cognitum. Habet autem hæc regio copiam piscium & pecorum atque frumenti, sed & pomiferarum arborum tanta est in ea multitudo, ut ex pomis potum faciant, aut pro magna parte in alias deferant terras. In summa, abundant omnibus rebus ad uitam humanam necessarijs, præter unum quod ibi non crescit.

Normandia

Demoribus

De Gallia.
De moribus & ritibus anti-
quorum Gallorum.



Crediderūt olim Galli animas humanas esse incorruptibiles & in alia trāsire corpora, atq; metu mortis ita sublato audaciores in periculis fuerūt. Procedentes ad militiam aut graui morbo affecti, aut in periculis constituti, pro salute humanam mactabant hostiā. Supplicia eorū qui atrocitij alteriusue noxae conuicti essent dijs gratissima arbitrabantur. Mercurius in praecipua ueneratione erat, quē omnium artium inventorem praedicabant, uitarū & itinerū ducem, & ad quaesitum faciendū plurimum prodesse. Marti in pugna ituri quicquid cepissent pro uictoria uouebant, uisebaturq; ob eam in plerisque urbibus ingentes tumuli bellicis spolijs constructi. Si quis ex praeda aliquid fraudasset, graui supplicio id scelus uindicabāt. Se ex Dite procreatos persuasum habuere, ob idq; initium festorum dierū ab ea nocte coepere, quae festam lucem praecessisset, rati noctem illi sacram esse. Liberos ad conspectum suum non prius uenire patiebantur, q̄ per aetatem adoleuissent, ut militaria iam obire munia possent: turpissimum arbitantes, filium adhuc puerum patri assistere. Viri quantas ab uxore pecunias dotis nomine acceperant, tantam dem domesticarum fortunarum aequa aestimatione cum dote conferre: quicquid inde fructuum perciperetur, id diligenter asseruari, eiusque esse qui superstes alteri fuisset. Viri uxores sicut in liberos uitae & necis potestatem habuere. Si qua ueneficij conuicta esset, à propinquis mariti igne sauisque cruciatibus necari. In funere omnia quae uiuis charissima fuissent, cremare cum defunctis, animalia etiam ipsa. Vulgus satis uestiebatur, scissisq; pro tunica amictu, qui uix nates integeret dimidias, lana quidem aspera, caeterū oblongis uillis, unde & sagula hirsuta texebant, quae Lenae uocantur. Comas studio nutriebāt. Corpora genti procera & uulgò candida, & secundum ea armatura aequalis, gladius longus, dextro latere dependens, clypeus etiam longus, hastae ad proportionē. Arcubus plerumque utebantur & cum telo certiozem infligebant ictum, quo in aucupijs potissimum utebantur, paucissimi bellum fundis & fuste ingrediebantur. Humi cubabant, coenitates in stramentis assidebāt, plurima cum lacte illis esca, carnibusq; multifariam praesertim suillis & recentibus & salicis. Ferox omnibus ingenium, ingentia simplicitas, plus uirū quam conuictas, ut ter centum & amplius armatorum millia gens una Belgica ad bellum olim mitteret. Victoria

Gallorum
militia.

ret, victoria supra quam dici possit uincensibus lata, uictis stupor. Ex praelio decedentes .cer uicibus equorum hostium capita suspendebant, eaq; domū delata, ut essent spectaculo po- sibus affigebant. Illustrium uirorum capita cedrinis cōdientes odoribus, peregrinis offen- tabant, nec tantidem auri redimi dignabantur. Hominem diuinationi destinatum in tergo ferientes, ex ipso impatientia afflictiq; modo uaticinium capiebant. Erant Galli ex ali- sidos labore & exercitio ferē omnes olim macilenti corpore, uentresq; minimē propen- debant: nam saginam adeo deuitabant, ut adolescentes qui zonae mensuram uentre exce- debant, publicē multarentur. Ceterum Romanorum commertio multa notari contigit, tempus inde omnia in melius uertit. Peculiariter tamen crapulae uitio notati sunt, sicut reliquarum nationum uitia olim annotata, in talem ordinem sunt digesta: Inuidia Iudaeo rum, perfidia Persarum, astutia Aegyptiorum, fallacia Graecorum, sauitia Saracenorum, le- uitas Chaldaeorū, uarietas Afrorum, gula Gallorum, uania gloria Longobardorū, crudeli- tas Hunnorum, immūditia Sueuorum, ferocitas Francorū, stultitia Saxonū, duritia Picta uorum, libido Scotorū, uinolentia Hispanorū, ira Britannorum, rapacitas Normādorū. Econtra uerō quando olim haec uitia in singulis nationibus sunt deprehensa, sunt & uirtu- tes in eisdem animaduersae, quibus unus populus alium praecessit, & haec tali signatae sunt or- dine: Hebraeorum prudentia, Persarum stabilitas, Aegyptiorū solertia, Graecorū sapientia, Romanorum grauitas, Chaldaeorum sagacitas, Assyriorum ingenium, Gallorū firmitas, Francorum fortitudo, Scotorum fidelitas, Hispanorum argutia, Britannorum hospitali- tas, Normādorū cōmunio. Haec ueteres signarunt, non mea sunt inuentiones, tamen si scia hodie omnia ferē inuersa. Quid hodie Italis, quid Gallis, quid Hispanis, quid Germa- nis & reliquis nationibus cōmuniter imputei, nemo inter doctos est qui id ignoret. Ego mihi hic tempero, ne undique grauem mihi conciliem inuidiam, etiamsi ueritatem dixerō. Malumus omnes dici quam esse probi & iusti, etiam quando publica sunt uitia.

Vitia antiqua- rum nationū

De Parlamento & gymnasio Parisiensi.

Secundum Robertum Gaguinum Parlamentum Parisianum tale habuit initium. Conuenerūt olim ex omnibus Galliae ciuitatibus probatissimi & expertissimi qui- que uiri in unum consiliū. praesertim qui ad hoc delecti erant & nouerant regni con- suetudines & iura, examinatisq; causis & controuersijs eorum qui ad ipsos prouo- cauerūt, ius dicebant. Sed quia uaga esset incer- taq; institutio, decreta Parilius curia & sedes esse- runtq; ad eam iudices designati, qui ibi cōsisten- tes, perpetui prouocationum definitores essent. Illorū octoginta numero sunt, annua stipēdia ex fisco regio percipientes. Hi autem diuisi sunt in quatuor cōsilia & curias, quas Cameras uocā.



In prima camera sedēt quatuor regētes seu prae- sidentes atq; triginta consiliarij, qui audiunt causas & lites, cōstituunt terminos & faciūt dilationes, & quae ad iuris cognitionem attinent. Minores ta- men causas & leuiores ipsi diiudicant. In secūda camera sedent decem & octo cōsiliarij sicut & in tertia, & in utraq; sunt quatuor praesidentes, & hi consiliarij partim sunt laici & partim doctores. Officium eorum est diligēter causas examinare,

et quicquid illi decernunt, hoc unus ex quatuor praesidentibus primae camerae denunciat partibus litigantibus, prima die ab ipsis determinata. Et hanc sententiam uocant Arrestū, id est, firmam, nec licet ab ea appellare. Qui autem hic reus iudicatus fuerit, cogitur dare iudicibus sexaginta libras Turonenses. Quod si quis existimet causam suam non satis di- cussam & examinaram aut non rectē intellectam, atq; ob id sibi iniuriam factam, huic li- cet causam suam rursus in iudicio proponere & diligentius examinare. Verū non prius auditur, quam duplicatā dictae pecuniae summam deposuerit. In quarta Camera sunt con- siliarij

Arrestum
quid.

filiarij quos uocāt Magistros palatij, & hī audiunt solum illorū causas, qui regis obsequijs sunt deputati, aut speciali priuilegio donati, ne ab alijs curijs infestentur. Sedent in hac camera solum sex iudices, licetq; ab eorum sententia prouocare ad Parlamentum. In decidendis causis, quum magna difficultas offertur, hęc omnium curiarum consiliarijs congregatis discutitur, quod etiam fit in his que rex de Republica statuit: huius enim senatus decreto omnia aduntur. Habet proinde hoc Parlamentum aliquot assessores & cōiudices, præsertim quando Pares Frācię presentes sunt & comites qui in regis curia sunt, & hi uel cum Paribus discernunt & definiūt in Regalium & Parium causis. Sunt autem duodecim Pares electi ex cunctis nobilibus regni, quorū sex sunt ex collegio sacerdotū, nempe episcopus Remensis, episcopus Laudunensis, episcopus Lingonensis, qui etiam duces appellantur: episcopus Bellouacensis, episcopus Nouiomensis, episcopus Cathalaunensis, qui comites uocantur. Et his addunt sex principes seculares, nempe dux Burgūdię, dux Normandię, & dux Aquitanie: item comes Flandreñ, comes Tolosanus, & comes Cāpanie. Hos duodecim principes primū instituit Carolus Magnus, appellauitq; eos Pares, quos pari dignitate astare debeant regi. Nec subijciuntur ulli iudicio nisi Parlamenti. Nostro tempore horum duodecim principum nō magnus est respectus, deinde quidam sunt

Duodecim Pares.

Pares in Francia extracti.



aboliti, præsertim ex secularibus, ut dux Burgundie & comes Flandrie, & rex agit quod sibi placet. Fundauit quoque illis temporibus Carolus magnus studium Parisiense, sollicitatus ad hoc per quatuor insignes & doctos uiros, quorum nomina sunt, Claudius, Alcuinus, Iohannes & Rabanus. Hi fuerant discipuli uenerabilis doctoris Bedę, ueneruntq; ex Scotia in Franciam.

Quibus moderatoribus Gallia ab anti-

quis temporibus gubernata & administrata fuerit.

Longē ante Christi tempora & priusquam Romani Gallia suo dominio subegissent, præfuerunt Gallie multi priuati reges & principes & qui non magni fuerunt nominis, quales fuerunt Lugdus, Allobrox, Belgius, Trebeta & alij plurimi, unde priuatae regiones suas mutauerunt denominationes, sicut & supra diximus, fuitq; tunc & aliquot annis post Christi incarnationē ea regio Gallia & non Francia nuncupata. Asseserunt autem Romani dominium in ea ferē centum annis ante Christi natiuitatem, retinueruntq; illud propē quingentis annis. Interea autem temporis dum Sicambri, qui postea Franci dicti sunt, quib; ostia Rheni & circumiacentem agrum possidebant, indies crescerēt & roborarentur uiribus, coeperunt excurrere in finitimam Gallie regionem, occupare arces & oppida atque exturbare Romanos, ut etiā anno Christi 420. Pharamodus uigesimus quartus (aut secundū aliorū supputationē 43. qui ab alio principe catalogum regum incipiunt) Francorum rex, primus fuerit in Gallia Francigenarum rex, atque sub eius filio Clodio atque nepote Meroueo Sicambri ferē totam adepti fuerint Galliam,

Sicambri Galliam inuadūt.

liam, relictisq; prioribus mansionibus quas circiter 870. annis tenuerant, migraverunt in Galliam, potiri eius dominio. Didicerunt quoq; Gallorum linguam, quam Romani intro duxerant, & conformes se fecerunt moribus eorum, sicut & alij Franci, qui à fratribus suis secedentes & pagum Mogoni seu Moeni, ubi hodie est Wircepurgum, occupantes didice runt Germanorum linguam & mores. Pharamundus uero unanimi ter à suis electus in regem, transfudit sedem suam à Fràcia orièntali in Fràciam occidentalem, posuitq; legem quam Salicam uocant, ne re gni successio in colum transferatur, hoc est, ne mulieres regni hære des fieri permittantur. Post Meroueuum rerum potitus est in Gallia Childericus, deinde Clodoueus primus Christianus rex. Huic suc cessit Lotharius primus, deinde Childericus, & post ipsum Lotharius secundus. Item Dagobertus magnus, Clodoueus, Lotharius tertius, Theodoricus, Clodoueus, Childebertus, Dagobertus. In hoc Da



Lex Salica.

goberto defecit stirps Merouei, fuitq; Childericus ultimus rex. Hic sicut & quidam præde cessores sui, qui ignauitæ & corporis uoluptatib. sic studuerunt, ut posthabita regni cura, cõ tenti essent solo eius titulo, opes uero & omnis regni potentia penes aula præfectos, quos illi Maiores domus uocabant, erant, sic ut illi quæcunq; uel domi uel foris agenda erant, ad ministrarent. Et quando ab exteris nationibus legati ueniebant, sedebant quidẽ ipsi in re gio solio, audientiamq; auditoribus præbebant, sed aliud nihil respondebant, quam quod instructi erant. Eligebatur autem Maior domus ad id officij ex nobilioribus & præcipuis, qui in aula uersabantur. Præerat huic officio, quum Childericus regium teneret fastigium, Pipinus uir grauis & ad obeundum magna atq; ardua negotia summa præditus industria, qui & ipse ex regio descenderat semine, administrationemq; habuit Brabãtig. Hic animad uertens regum Franciæ inertiam ignauiamq;, consentiente populo mittit ad Zachariam Rom. ecclesiæ præsulem legatos, Burchardum Herbipolensem episcopum & Folradum abbatem, qui interrogarent eum, uter regio fastigio dignior esset habendus, an qui nomine modò rex sit, consilio autem & opera nihil præstare posset, an qui solus omne regni onus sustineret? Zacharias memor paterni beneficij, quo Roma liberata fuit à Longobardorũ rege, Pipinum, cuius humeris omnes regni labores incũbebant, regia potestate Childeri co digniorem esse disertis uerbis pronũciat: sic nimirum non patris modò officium com pensare, sed sibi quoque & Romanæ ecclesiæ fidum fortemq; patronum & propugnato rem parare uolens. Pontificis ergo sententia ferocior factus Pipinus, simulq; eandem ap probantibus episcopis & quibusdam aulicis uiris, in Suesstionum urbe coronatus regnum sibi uendicat, Childericum uero regem potestate & dignitate deijcit, & monasterio inclu dit. Alij tamen aliter hinc loquuntur, nempe Pipinum ambitione motum, perfidumq; fuisse in regem & affectasse regnum: & cum uaria super hac re consilia nunc cum aula re gibus proceribus, mox cum ipsis quoque episcopis uoluisset, tandem rem tantam ad Ro manũ referendam esse censuit, Sperabat enim Pontificem Romanum paterni beneficij me morem gratumq;, & sententiam contra regem pro se laturũ fore, sicut & factum est. De scenderat autẽ Pipinus iste à filia Lotharij primi regis, quæ maritũ habuit nobilem quen dam Francũ Ansbertum nomine. Ansbertus genuit Arnoldum, Arnoldus Arnolphum. Galli tamen non nihil mutant hæc nomina. Arnolphus antequam episcopus Metensis fie ret genuit Anchisum, Anchisus uero genuit Pipinum, qui Maior domus est constitutus. Successit autẽ ei in hoc officio filius eius Martellus, qui in rebus bellicis clarus euasit, ges sitq; magna, præsertim contra Saracenos in Hispania atq; in Gallia circa Narbonam. Mo rituos uero diuisit inter filios suos regni præfecturas. Carolomannum enim præfecit Au strasiæ, Sueuiæ & Alemanniæ, Pipinum uero constituit super Galliam. Nec multò post Ca rolomannus relicto seculo ingressus est monasterium, sortitusq; est Pipinus totius regni dominium. Hic Pipinus cum uidisset regum ignauiam & uitæ eorum dissolutionem, obti nuit (cõsentiente populo) regni sceptrum, anno Christi 749. Reliquit autem duos filios, Carolomannum & Carolum magnum. Carolomannus mortuus est immatura morte. po situsq; est Carolus toto regno Galliæ & Alemanniæ, quod indiscretum adhuc erat. Factus est etiam idem Carolus postea Romanorum Imperator, ut infra suo loco fufius dicetur.

Maior domus.

Hugo Capetus.

Manferunt proinde hic Carolus & sui sanguinis successores reges in Francia usque ad an num Christi 988. Tunc emerfit ex Francigenis Hugo Capetus, qui potenter se ingessit regno

regno Franciæ. Sunt qui scribunt illum fuisse comitem Parisiensem, alij uerò aiunt patrem eius fuisse in monasterio abbatem, ignobilem quidem genere, cuius filius homo fuit ferocis ingenij, intrepidus ad omne periculum, audax & quem nemo non formidabat ob eius tyrannidem. Paulus uerò Aemilius & Raphaël Volaterranus asserunt matrem eius, Audam nomine, sororem fuisse Ottonis magni, patrem uerò Hugonem magistrum extitisse equitum siue marscalcum regni, & comitem Parisiensem, obtinuisseq; titulum ducis in Francia. Suscepit liberos, Ottonem, Henricum & Hugonem, qui dictus est Capetus. Iste ductans Francorum exercitum contra Carolum Ludouici patrum, bellum gessit annos quatuor, quem & tandem in custodiam apud Aurelianenses misit, quòd post Lothari regis fratris sui mortem, cum ducatu Lotharingiæ regnum quoq; Franciæ ceu propinquitates heres possidere uellet; ipse enim solus adhuc supstes fuit de sanguine Caroli magni. Manfit autem in carcere (non tamen duro) usque ad mortem suam. Hic uidere licet, Germanos Francos post Romanos multis annis usq; ad dictum Hugonem possedisse atq; gubernasse Galliam. Post Capetum uerò iam signatum, hoc ordine Francorum reges usq; ad tempora nostra diducuntur. Hugo, Robertus magnorum operum patrator, Henricus qui regnare cœpit anno millesimo 31. Philippus primus, Ludouicus Crassus, Ludouicus minor, Philippus cognominatus augustus: auxit enim regnū cœpitq; regnare anno 1180. Ludouicus, Ludouicus sanctus, cuius frater occupauit Siciliam. Philippus pulcher, Ludouicus, Philippus longus, Carolus formosus frater eius, Philippus Valesius, Iohannes, Carolus quintus & primus Delphinus, Carolus sextus, Carolus septimus, Ludouicus undecimus, Carolus octauus qui regnare cœpit anno 1483. Ludouicus duodecimus dux Aurelianensium. Franciscus comes Engolesmenus, qui nostro tuo regno præfuit, & plurima bella gessit cōtra Carolum regem Hispaniæ & Roman. Imperatorem. Huic successit filius eius Henricus.

Genealogia regum Franciæ in succinctam seriem redacta.



	Primus Francorum rex
Tiberius Cæsar	1 Francus
	2 Clodius
	3 Herimerus
Nero Cæsar	4 Marcomirus
	5 Clodomirus
	6 Anthenor

Duo aut tria nomina in una linea cum duobus aut tribus numeris, signant personas illas fratres fuisse, præceditq; is qui hæredem reliquit, id quod numerus quoq; ostendit, nõ obstante quòd is minor est & post fratrem regni habenas suscepit.


Commodus

Commodus	7	Ratherus	
Caesar	8	Richimerus	
	9	Odemarus	
	10	Marcomirus	
Decius Caesar	11	Clodomirus	
	12	Farabertus	
	13	Sunno	
	14	Childericus	
	15	Bartherus	
Dioletianus	16	Clodius	
Caesar	17	Waltherus	
	18	Dagobertus	
	19	Clodius, frater eius	Genebaldus dux Franconiæ
Constantinus	20	Clodomirus	Dagobertus dux
magnus	21	Richimerus	Clodius dux
	22	Theodomirus	Marcomirus dux
	23	Clodius	1 Pharamundus dux & rex,
	24	Marcomirus	obiit anno 430
		Post hunc Marco-	2 Clodius obiit 448
		mirum sequuntur	3 Meroueus 458
		principes	4 Childericus 484
		Dagobertus	5 Clodius siue Clodoueus pri-
		Genebaldus	mus rex Christianus 514
		Sunno	7 Lotharius 6 Childibertus
		Diocles	9 Chilpericus 8 Aribertus
		Meroueus	10 Lotharius siue Clotarius mor-
		Leontius	tus anno 632
		Heribertus	11 Dagobertus magnus 646
		Priam	12 Clodoueus mortuus 662
		Sigibertus	14 Theodoricus 13 Lotharius 666
		Anselbertus	15 Childericus tertius 679
		Ansigifes	17 Childibertus 16 Clodoueus 697
		Sanctus Arnolfus	18 Dagobertus 19 Lotharius 721
		Antisiges. Iste prin-	20 Theodoricus 741
		ceps duxit uxorem Beggam filiam du-	21 Childericus rex ultimus huius stir-
		cis Brabantix, & factus est sacri imperij	pis, obiit 750.
		mariscalcus, filius eius.	
		Pipinus	
		Carolus Martellus	
	22	Pipinus post Childericum rex Franciæ obiit anno	769
	23	Carolus magnus rex Franciæ & Imperator	814
	24	Ludouicus pius, rex & Imperator, mortuus	840
	25	Carolus caluus, rex & Imperator	878
	26	Carolus Balbus, rex & Imperator	880
	27	Ludouicus.	28 Carolus
	30	Carolus cognominatus simplex obiit	916
	32	Ludouicus 955.	29 Eude comes Andegauen.
	33	Lotharius 986.	31 Raou de Burgundia
	34	Ludouicus 987.	Hi duo Raoul & Eude nō fuerūt de linea Ca-

rolimagni. Deficiente enim linea Caroli magni, comites Parisienses ad se traxerunt regnum idē in hunc modum. Cum Ludouicus 34 mature moreretur, erat adhuc superstes patris sui Lotharij frater Carolus nomine, dux Lotharingiæ, qui legitimus erat in regno Franciæ successor, at Capetus inhians regno conuertit se ad insidias, cepit Carolum coniecitq; in carcerem, & uendicauit ipse sibi regnum.

Genealogia Capeti & successorum eius usque ad nostra tempora.


Robertus comes Andegauensis & Parisiensis genuit Robertum ducem Aquitaniae. Roberto successit Hugo comes Parisiensis, atq; reliquit successorem Hugonem Capetum regem Franciae, qui mortuus est anno 996. Filius eius Robertus obiit anno 1030. Huius uero filius Henricus obiit 1060. Sequitur istud Philippus rex, mortuus anno 1109. Cui successit filius eius Ludouicus grossus, qui mortuus est anno 1137. Hunc subsequutus est filius eius Ludouicus iunior, qui obiit anno 1179. Filius uero eius Philippus Augustus mortuus est anno 1223. In cuius locum succedens Ludouicus octauus filius eius, obiit anno 1226. Atq; is reliquit filios, Ludouicum sanctum & Carolum qui anno Christi 1268. factus est rex Neapolitanus. Successit Ludouico sancto filius eius Philippus tertius, obiitq; idem Philippus anno 1286. Reliqua patent in sequentis genealogiae serie qua ad tempora usque nostra deducitur.



Muliebres personas quae in alienas translatae sunt familias, hic ex industria nolimus agnoscere, quod iuxta Salicam legem ac successionem genealogiae regum Franciae nihil faciunt, atque deinde seriem praesentem supra modum obscurant aut saltem nimium auferunt. Ab Hugone Capeto usque ad Henricum regem, qui hodie rerum potitur in Gallijs numerantur 25 regiae personae, id quod numerus supra regum nomina signatus pulchre ostendit. Licet in hac genealogiae serie uideri, quomodo fasces imperij plerumque a patre ad filium, aliquando a fratre ad fratrem, & aliquando a nepote ad patrum, aliquando etiam in quartum aut quintum gradum fuerint translatae. Pater quoque hinc, quomodo regia soboles inserta sit in ducatus Burgundiae & Lotharingiae, & rursus per foemininum genus dominium ducatum in alias translatum familias.

Philippus

Imp
Cap



Lotharingia & Brabantia.



Quantum attinet ad minora dominia Francie, notabis hos duos ducatus, Lotharingiam & Brabantiam olim unitos fuisse sub principe Austrasie, manseruntque sic coniuncti usque ad tempora nepotum Caroli magni, tunc disiecti sunt, cessitque Lotharingia Lothario & Brabantia fratri suo Carolo, anno scilicet Christi 950. aut circiter. Cumque hi ducatus & tota posteritas Caroli magni deficeret, anno scilicet Christi 1005. mortuus est & Otto filius ducis Caroli (quem rex Capetus uinctum tenuerat) sine herede, tradiditque Otto primus Imperator genero suo Conrado utrumque ducatum. De quo uide infra apud Ottonem Imperatorem. Alij etiam scribunt, Henricum sanctum Lotharingiam dedisse duci Gotfrido. Saepe tamen principum familia, cui hi ducatus possidendi traditi sunt, penitus & sine reli-

Gotfridus dux
Lotharingie.

cto uirili semine defecit. Henricus enim Imperator tertius, alterius familiae principes hoc ducatu honorauit. Sic Henricus quintus tradidit hunc ducatum anno Christi 1106. dominus Louanij, quorum primus uocatus est Gotfridus barbatus. Paulo post totum hoc dominium fuit distinctum in duos ducatus, mansitque Lotharingia multo tempore in posteritate Gotfridi, qua tandem penitus deleta. Renatus comes Vademontanus uocatus est ad ducatum, cuius posterii in hunc usque diem ducatu praesunt. Obtinuerunt quoque titulum regni Ierosolymitani per ducem Gotfridum, qui anno Christi 1099. expugnata Ierosolyma factus est rex terrae sanctae. Sic Renatus attulit titulum regni Siciliae. Sunt tamen inanes tituli, quum nullum habeant annexam possessionem. Mansit etiam Brabantia aliquandiu in Gotfridi posteritate usque ad ducem Iohannem tertium qui obiit anno 1355. relictis tribus filiabus, nullo autem filio. Vna uocabatur Iohanna, quam duxit uxorem Wentzelus rex Bohemiae, quae & post mortem eius gubernauit Brabantiam uiginti duobus annis. Altera appellabatur Margareta quae nupsit Ludouico comiti Flandriae, genuitque unam filiam Kunigundem nomine, quam accepit Philippus dux Burgundiae, regis Caroli quinti frater, genuitque cum ea Iohannem ducem Burgundiae & Antonium, qui post mortem Iohannae sororis aui suae factus est dux Brabantiae. Genuit proinde Antonius ducem Iohannem quartum & Philippum, sed qui sine prole ex hac uita excefferunt: tunc accepit Philippus filius Iohannis ducis Burgundiae Brabantiam in suam potestatem tanquam propinquior haeres, anno scilicet Christi 1434. Fecit quoque sibi audientes Hollandiam & Selandiam, quamquam ultimus comes Hollandiae reliquerit post se filiam, Iacobam nomine, quam duxit uxorem Iohannes dux ultimus Brabantiae. Quo mortuo sine haerede, nupsit Iacobae fratri regis Angliae, conabaturque retinere Brabantiam cum Hollandia, sed uenit dux Burgundiae & gladio recuperauit Hollandiam, fuso multo sanguine ob hanc rem. Et cum postea Iacobae Holandae consanguinea eius moreretur, occupauit & Brabantiam, Selandiam & Hannoniam. Flandria & Artesia ante sui iuris erant, intercedente morte ultimorum comitum. Cunctas has terras reliquit in morte filio suo Carolo ultimo duci Burgundiae, cuius filiam Mariam accepit Maximilianus princeps Austriae, factusque est dominus omnium memoratarum terrarum, praeter eas terras quas abstulit in Burgundia & inferiori Germania rex Franciae. Genuit autem Maximilianus cum sua consorte Maria Philippum & Margaretam haeres omnium harum terrarum. Philippus genuit Carolum & Ferdinandum, qui in hunc usque diem possident Burgundiam, Hannoniam, Hollandiam, Flandriam & Brabantiam.

Dux ultimus
Brabantiae.

Carolus potentiss.
rex Burgundiae.

De regno Burgundiae.

Delphinatus.

Antiquis temporibus saepe tentatum fuit, ut Burgundia erigeretur in regnum, sed nunquam diu constitit in hoc fastigio. Quin & Carolus ultimus dux Burgundiae laborauit apud Fridericum Imperatorem, ut coronaretur in regem, at non fuit illi concessum. Anno Christi 1020. factus est rex Burgundiae Rudolfus generus Burchardi ducis Sueuorum, cuius filiam Bertham habuit uxorem & idem socer Conradus Imperatoris, & quum absque sobole mascula moreretur, successit ei rex Henricus filius Conradus Imperatoris. Complectebatur tunc Burgundiae regnum Sequanos, superiorem Burgundiam. Allobroges qui hodie uocantur Sabaudi, Delphinatum & territorium quod est circa urbem Arelatensem, ubi scilicet Rhodanus exoneratur in mare mediterraneum. Sed non longe post diuisa est terra in multa dominia, ubi regum filij sunt multiplicati. Burgundia fuit diuisa in comitatum & ducatum, habuitque anno Christi 1300. suos peculiare dominos, sicut & terra Lugdunensis obtinuit suum principem, quem Delphinum appellarunt, qui multa gessit bella cum uicinis populis Allobrogibus & comite Sabaudorum. Et quum ultimus princeps Delphinatus Umberto unicu haberet filium, illumque amitteret, praemortore uoluit ingredi monasterium atque dominium Delphinatus tradere Romano pontifici ei pro modica pecunia, nisi nobiles Delphinatus obstitissent, qui maluerunt esse sub rege Franciae, qui eos tueri posset contra Sabaudos quam sub pontifice. Incorporatus est itaque Delphinatus regno Franciae circa annum Christi millesimum trecentimum & 50 sub Philippo Valesio rege Franciae. Facta est quoque tunc constitutio, quod seniores regum filij patribus in regno successuri appellarentur Delphini, essentque interim quo reges fierent, domini Delphinatus.

Delphinatibus, cuius prima urbs est Vienna. Hæc autem habeo ex nono libro Pauli Aemilij. Scripsi quoque non nihil de hoc supra, ubi de regionibus Galliarum mentionem fecimus. Notandum præterea quod comitatus Burgundiarum & ducatus eiusdem, quum aliquandiu disiuncti fuissent, rursus sub unum dominium sunt redacti, manseruntque sic uniti usque ad interfectionem Caroli ultimi ducis, tum rursus sunt disiuncti, arripuitque rex Franciarum unum principatum, meliorem scilicet, & Cæsar Maximilianus alterum. Ducatus mansit apud regnum, comitatus uero apud domum Austriarum, uterque tamē feudum est regni Franciarum. Alij tamen asserunt comitatum feudum esse imperij, licet exemptum, uocaturque Burgundia superior & est montosa: Ducatus uero habet terram planam. Præcipue ciuitates in comitatu sunt Bisantium, Salinum & Dollum, ubi Parliamentum est pro toto comitatu. Porrigitur autem is comitatus ad Confœderatos, ad ducatum Lotharingiarum, & ad comitatum montis Beligardi. Porro uersus occidentem extenditur ad Ararim fluum, quem hodie Sonam uocant.

Vienna Delphinatus.

Ducatus Burgundie.

Duces & comites Brabantiarum

& Lotharingiarum.

VT redeamus ad Lotharingiam et Brabantiam, notabis nostro tempore quosdam conatos harum prouinciarum intricacionem hoc modo extricare. Quum Carolus magnus & posteri eius adhuc extarent, habuerunt sub suo dominio Franciam, Alemanniam & Italiam. Imperij sceptrum ablatum est ex posteritate eorum citius quam dominium regni Franciarum, quousque scilicet Capetus sese regni fascibus propria temeritate ingessit, qui non fuit de sanguine Caroli magni. Extabant quidem tunc aliqui, qui erant de semine Caroli magni, & hi moderabantur Lotharingiam & Brabantiam, tamen non in multos annos propagauerint sobolem suam. Ultimus, nempe Carolus, reliquit post se filiam, quam duxit uxorem Lambertus Comes Bergensis siue Montensis, factusque est marchio Romani imperij & comes in Brabantia. Hunc secutus est in principatu filius eius senior Henricus. Post Henricum rerum potitus est filius eius Lambertus, post Lambertum filius eius Henricus secundus, & post hunc filius eius Henricus tertius. Deinde filius eius Gotfridus cum barba, qui etiam dux Lotharingiarum factus est. Gotfridum hunc subsecutus est Gotfridus secundus filius eius, qui dux fuit in Lotharingia & Brabantia. Post hunc Gotfridus tertius filius eius, & post eum Henricus primus filius eius, dux utriusque prouinciæ. Cui successit filius eius Henricus secundus, & post eum filius eius Henricus tertius, qui mortuus est anno Christi millesimo ducentesimo 50. Hic usus est titulo ducis Brabantie, prædecessores uero eius usi sunt titulo comitis & ducis Louaniensis. Post eum imperium habuit utriusque ducatus filius eius Iohannes primus, et post eum filius eius Iohannes secundus, dux Lotharingiarum & Brabantiarum, qui mortuus est anno Christi 1355. nullo relicto filio sed filiabus duabus, quarum alteram nomine Iohannam accepit comes Holandiæ, & eo mortuo duxit eam uxorem Wentzeslaus frater regis Bohemiarum. Eo quoque mortuo præfuit mulier illis regionibus quum nullum haberet filium. Moriente uero ea Philippus audax filius regis Franciarum, qui sororem eius Margaritam habuit uxorem, factus est dux Burgundiarum & Brabantiarum atque comes Flandrie. Reliquit autem duos filios.

Philippus dux Brabantiarum post fratris sui obitum: obiit autem & ipse sine hærede.

Antonijs dux Brabantiarum

Iohannes dux Brabantiarum. Hic instituit academiam Louaniensem. anno 1427.

Philippus audax


Iohannes dux Burgundiarum & comes Flandrie

Philippus pius dux Burgundiarum & Brabantiarum, comes Hollandie, Selandie, &c.

Carolus dux & comes, cuius unicum filiam duxit Maximilianus

Sequitur

Sequitur genealogia ducum Lotharingia.



Alsacia separatur a Lotharingia.

Brabantia separatur a Lotharingia.


Successio ducum Lotharingie saepe intercisā fuit, id quod aduertere licet ex supra scripta genealogia. Primus constitutus dux uocatus est Carolus. Secundus Otto, cuius tempore Lotharingia separata est ab Alsacia, factusque est Alsacia Landgrauianus. Mortuus est autem iste Otto circa annum Christi 1020. Successit illi in ducatu comitatus sanguineus eius comes Gotfridus de Ardena. Et post illum filius eius Gotfridus, qui mortuus est anno Christi 1070. Hunc subsecutus est filius eius Gotfridus gibbosus, qui mortuus est anno 1076. Tunc Henricus quartus Imperator tradidit ducatum filio suo Conradus, sed restitutus est deinde familiae Gotfridi, nempe nepoti eius ex sorore, qui & ipse appellabatur Gotfridus, factusque est rex Ierosolymitanus. Successit illi in regno & ducatu frater eius Balduinus, cui deinde successit tertius frater Eustachius. Sunt tamen qui aiunt post Balduinum in ducatum trusum Henricum Limpurgensem anno Christi 1106. qui fuit optimus dux. Postea tradidit Henricus quintus Caesar ducatum comiti Louanienti, nomine Guilhelmo. Cui successit filius eius Theodoricus. Hunc sequutus est filius eius Theobaldus, & Theobaldum Fridericus, sub quo Brabantia separata fuit a Lotharingia. Post Fridericum adeptus est quidam Matthaeus nomine ducatum, qui post se reliquit filium Simonem nomine, & alium filium Fridericum nomine, qui mortuus est anno Christi 1239. In cuius locum successit filius eius Mattheus, & post Mattheum filius eius Fridericus, & post hunc filius eius Theobaldus, qui obiit anno 1331. Successitque filius eius Fridericus, ac deinde huius filius Rudolfus, qui mortuus est anno 1346. Rudolfo successit filius eius Iohannes, dux uxorem Sophiam filiam Eberhardi comitis Wirtenbergen. & mortuus est anno 1382. Sepultus Nanceie atque relinquens successorē in ducatu Carolum, qui reliquit filiam unicam, quam duxit uxorem Renatus rex Sicilie, filius Ludouici ducis Andegauensis, factus per eam dux Lotharingie. Hic repulso a Sicilia, retinuit inanem regni titulum. Reliquit autem filium nomine Iohannem & filiam Iolandam nomine, quam accepit uxorem Fridericus de Vademonte. Succedens autem Renato filius eius Iohannes, reliquit & ipse filium Nicolaum, qui obiit sine liberis anno 1464. Tunc successit comes Fridericus de Vademonte, factusque

factus
rolus
Helue
tum,
ditio
do pr
aut m
genea
uiau

que ac
popul
nem fa
ueru
Torn
teriori
scripto
Christ
tem no
Elitor

factus est dux Lotharingæ, & reliquit successorem filium Renatum nomine, quem Carolus dux Burgundiæ tantis lacessuit bellis, expulsiq; e ducatu. At Renatus auxiliatibus Heluetijs superior factus in bello, occisoq; Carolo anno Christi 1477. recuperavit ducatum, mortuus tandem anno 1508. Successit ei filius Antonius, qui anno Christi 1525. seditiosos rusticos in Alsatia trucidavit. Ut autem compendio in figura habeas, quomodo propinquiores duces Burgundiæ & Lotharingæ atq; Austriæ iuxta lineam paternam aut maternam propagati sint ex regibus Franciæ, posui hic seriem & successionem totius genealogiæ Ioannis secundi regis Franciæ, quorum omnium ipse fuit pater, auus, abauus, uiauus, &c.

De comitatu Flandriæ



Quamuis prouincia Flandriæ olim & hodie iuncta fuerit Germaniæ inferiori, tamen ego annueram eam Galliæ ob id quod situs eius sit in terra Galliæ, utaturq; bona ex parte lingua Gallica, præsertim in limitibus, & quod olim sub regibus Franciæ fuerit. Extremi eius limites tempore Christi habitati fuerunt à Morinis & Neruijs, qui hodie appellantur inferiores Flandri, extendunturq; usque ad Calesium, quod & ipsum aliquando fuit Flandriæ annueratum. Meminit horum populorū & ciuitatum eius Antoninus Pius in suo itinerario, potissimum autem mentionem facit ciuitatis Taruaniæ atque ciuitatis Virouiaci, quæ hodie uocantur Teruuanen & Weruijck. Virouiacum hodie est sub episcopatu Tornacensium. Meminit quoque ciuitatis Tornacensis & item Castellæ, quæ hucusque retinet nomen suum & sita est in monte. In scriptores uerò Flandriæ atque ciuitatis eius ut nostro æuo est culta, nec ipse nec alij antiqui Christi quadragesimū 45. hoc est ad tempora Clodionis regis Fræciæ, qui habuit nepotem nomine Flandebertum, à quo Flandria, ut quidam putant, hoc sortita est uocabulum. Historici cōmuniter sentiunt, quod anno Christi 620. Clotarius destinauerit in Flandriam præfectum

præfectum quendam nomine Ludericum (ab alijs appellatur Lydericus) cōstitueritq; eum forestarium, id est, Sylvæ præfectū. Nam regio illa nondum erat culta sed pluribus nemoribus obducta, præsertim Arduēna sylva, cuius extremitas Flandriā cōtingebat. Alij pau-
 lō aliter de hoc scribunt, nempe in hunc modum. Anno Christi 621. sub Imperatore He-
 racleo, cū habitaret uir quidā locuples nomine Ludericus in uasta & aspera regione Flan-
 driæ, uenit rex Franciæ Lotharius qui & Clotarius in uastā illam solitudinē uenādi gratiā
 abductaq; est illi filia, quam secum habebat, à Nordmānis. Quod cū sensisset Ludericus,
 rapuit puellam ē manibus eorum, duxitq; eam uxorem, nesciens eam filiā esse regis, etiam
 cū ex ea genuisset tredecim filios. Sed cū hac fabulosa esse uideantur, relinquamus ea.
 Scribunt alijs Dagobertum filium Clotarj cū rex Franciæ esset factus, laborasse ut Chri-
 sti fidem & cognitionem plantaret apud Flandros, curauitq; ad honorem Christi in loco
 ubi hodie Brugis erigi templum, & prædicari Euangelium per sanctum episcopum Ellu-
 gium anno Christi 665. illuc destinatum. Deinde sanctus Amandus episcopus Tungro-
 sis prædicauit illis Christum octo annis, conuersaq; est bona pars populi, præsertim in lit-
 tore maris habitantis ad Christi fidem. Habuit eo tempore Flandria paucas atq; eas co-
 guas ciuitates, sicut & Iulius Cæsar de ea scribit in hūc sensum: Morini extremi Galliæ po-
 puli, ultimō uenerunt sub Romanorum potestate. Diu nanq; repugnabant antequam
 sese dederent, fiduciam habentes in nemoribus & stagnosis locis, donec tādē Iulius ty-
 uas resecaret, agros uastaret atq; oppida eorū exureret, illosq; adigeret ad postulandā Ro-
 manorum gratiam. Meminit autem Iulius inter reliqua duorum oppidorum, quorum no-
 mina sunt Icium & Gesoriacum, quæ hodie putātur esse Calesium & Bononia. Aliorū op-
 pidorum non facit mentionem, sed uicorum tantū. Qui uerō post Christi incarnationem
 scripserunt, hi quoq; mentionem faciunt Taruannæ & Tornaci. Quum Morini haud lon-
 gē post apostolorū tempora ad Christum cōuersi essent, rursusq; in paganismum relabe-
 rentur, à diuo Odomaro iterū Christo sunt lucrefacti à quo & insignis ciuitas denomi-
 nationem accepit: uocatur enim Sant Omar, antea Sithiu appellata. Inualuit in ea nostris
 temporibus usus Gallicæ linguæ, quum antea Germanicē pro magna parte locuti fuerint.

Fides Christi
plantatur in
Flandria.

Morini putan-
tur Flandri.

De ciuitatibus Flandriæ.

Nostro quo multæ & insignes ciuitates in Flandria reperiuntur, sed pauca uetu-
 statem præ se ferunt, quā intra quingentos annos ferē omnes extructæ sint, per-
 uenerintq; ad illam in qua hodie sunt sublimitatem. Tornacum quod ipsi
 Tornay & Dornick appellant, habet mediocrem uetustatem, quā Antoninus
 in suo itinerario illius mentionē faciat, & ea ciuitas ante multos annos sese alienauit à Flan-
 driæ, tutelamq; apud reges Franciæ quaesuit, quare à Comite quodam Flandriæ Ferdinan-
 do nomine uice quadam obsessa expugnata fuit & recuperata. Et nostris temporibus Ma-
 ximilianus unā cum Henrico Angliæ rege eam expugnauit, sed quā Anglus rursus Gal-
 lis uendit. Et superueniens postea Carolus quintus Cæsar, eripuit eam Gallis, incorpo-
 rauitq; Flandriæ. Est autem ciuitas episcopalis sita iuxta Scaldim ad occidentem, licet cum
 tēpore ultra flumina ad orientē bona pars in ædificijs accesserit, ubi & Angli fortissimam
 arcem cōdiderunt, per quam urbs in officio retineri potest. Mercatores & negotiatores
 uaria exercent ibi negocia, & fundus ipse satis fecundus est, plurimum ferens triticum.

Tornacum.

Gandauum.



Mouren uocantur, quæq; ex paludibus Vuasie diuionis originem accipiunt. Habet præ-
 terea

Gandauum ciuitas est ampla et benē munita,
 sita in cōfluentia Lisæ & Scaldis. Porrigit ut
 quocq; annis quidā à Gādao ad Dammu-
 & hinc uersus Brugas, quæ Luiuā uocāt, estq;
 magis fossa aquis inundans quā fluius, in utriusq;
 urbis magnam commoditatem facta. Habet deinde
 Gandauum magnum emolumentum à stagnis, quæ

rea urbs ista ciues locupletes, qui pro magna sui parte uiuunt ex censu & redditibus. Abundat opificibus, potissimum textoribus, qui uaria pannorum & linteorum genera conficiunt. Situs eius est in superiori Flandria, sicut & istarum urbium Schlusf, Oldenburg, Ardenburg, &c. Sunt aliquot ciuitates & oppida sub hac urbe, quorum habitatores municipales eius sunt, quales sunt Cortracum, Harlenbec, Lambec, Quatuor officia, &c. Simul enim ponunt exactam pecuniam, simul in militiam proficiscuntur, simulque consilia captant. Proinde huiusmodi historia, quod circa annum Christi 661. sanctus Amandus episcopus Tungrorum, gentes circa Gandauum habitantes imbuerit Christiana religione, retraxeritque stultos & pecunos homines a crassis suis erroribus, tamen tunc ulla Gadaui facta fuisse fundamenta tangent plerique: tamen communi opinione & doctorum hominum autoritate inter omnes etiamnum constat, hanc urbem uetustate esse commendatissimam, ut quae Iulio Caesare autoreo loci (ubi quondam diui Bauonis monasterium fuit, nunc arx est) facta sit auctior, atque adeo a Caio Caesare Gandauum dictum autumnant.

Brugæ.



Quiritas ista nullam habet uetustatem, nec natura bene est munita, caretque praterfluente aliquo amne, nisi quod fossa longitudine duorum miliarium ad Slusam usque manu facta est, aestu concitato tantummodo nauigabilis, per quam olim cum mercatus Antuerpiensis esset, merces nauiculis impositae Brugas ducebantur. Verum quum id mercatoribus satis graue esset, ac deinde Burgenses contra dominum suum Maximilianum commoti essent, translatus est inde non sine graui ciuitatis damno, mercatus ad Antuerpiam, quo confluunt hodie mercatores ex omni natione, ex tota Germania, ex Schleszuic, ex Hispania, Italia, Anglia, Scotia, Francia, & alijs terris, quantumque Bruges non penitus destituta sunt omni mercatu. Quantum enim attinet ad lanam, retinuit in hunc usque diem pristinam negotiationem & mercatorum concursum. Anno domini 1483. commota urbs Brugenensis cepit regem Maximilianum, idque eo nomine, ut resignato terra dominio, traderet illud Philippo filio suo, cui consiliarios assignare uoluerunt, quibus simul administratio terra committeretur. Hanc autem discordiam excitauerunt praefecti regionis, qui duri fuerunt erga populum, exactiones graues imponentes, unde ipsi ditescerant & nihil Maximiliano accedebat. Comperta autem Fridericus Imperator filij captio, neco acto magno exercitu sine cunctatione descendit ad inferiorem Germaniam, & filium liberum fecit. Habet & haec ciuitas Brugensis multas sub se ciuitates municipales, nempe Dammentes, Honcaueren. Slusenses, Neoporten. Duynkirchen. Greuelingen. Mardycheen. Furuen. & liberos Franconates. Per hos Fraconates intellige paruum Flandriae regionem, quae propter obrenta olim priuilegia dicta est Franca terra, habetque 35. habitaciones.

Maximilianus rex captus.

De Gallia De ciuitate Hyprensi.

TOta Flandria ad orientem & occidentē diuiditur in quatuor præcipua membra. Primū & principalis est Gandauū, alterū Brugæ, tertiu Hypra & quartum terra Franca. Hyprensis ciuitas arte & natura optimè est munita, suntq; in ea magnæ nūdinationes, præsertim in lana & optimis pannis, imò tota Flandria occupatur hoc mercatix genere, recipitq; lanas ab Hispanis, Anglis & Scotis, & textos pannos mittit in omnes totius Christianitatis regiones.

De magnitudine & fertilitate Flandriæ.



Longitudo Flādriæ accipit à Scaldi fluuio, ut uersus Antuerpiam flectitur, usq; ad nouam fossam, quæ apud sanctum Odomarum pro regionis defensione est facta, potestq; pedibus cursoris spatio triū dierum confici. Latitudo uerò mēsuratur uertere unius diei à Lysa fluuio uersus mare. Terra uerò quæ ultra Lysam uersus Franciam exponit, uocat Flandria Gallica, habetq; multas inlytas ciuitates, præsertim Duai cum uulgò Duai, Tornacum quam uulgò, Dornic & Tornay appellat, & Insulam, quam Germani Ryssel & Galli Lille uocant. Hannonia quoque & Artesia, præsertim Atrebatum, quæ Artesia pars sunt, annumerantur, ratione linguæ Flandriæ Gallicæ. Quantum uerò attinet ad terræ fertilitatem scribunt Flandrenses de patria sua, agrum illum maiore habere cōmoditatem ad ferenda pasqua quàm frumenta, unde necesse est, ut Flandris aliunde frumentum ministretur, præsertim ab Atrebatensibus, Ambianensibus, Cameracensibus & alijs adiacentibus terris, imò ex Iulia, ex Hispania maritima & Anglia adfertur eis triticum. Conficiuntur apud eos plurimi casei & butyrum: habent quoque laudatissimam caprarum hallecū, quæ omnia magno suo lucro mittunt in exterarum regiones. Exprimunt etiam oleum ex semine lini & raparum. Afferunt proinde eis mercatores Armorici sal indecoctū, quod ipsi nouerūt depurare ab omni fece. Habent portus maris optimos, præcipue Clusæ, Ostēdæ, Neoportus, Dunckerkæ & Duynkirchi. Caret regio uino, sed quod optimum & uarium aliunde importatur, nempe ex Gallia & Germania. Care tamen uenditur propter longinquam uecturam & multorū uectigalium solutionem. Quapropter incolæ communiter utuntur ceruisia. Abundat quoq; Flandria lignis, ut etiam quidam putent Carbonariam syluam olim in ea fuisse, nempe in agro Tornacensi, Alij uerò uolunt eam in Hannonia extitisse habentes suas coniecturas. In litore tamen maris penuria est lignorum, quapropter fouent ignem cespitibus graminosis & nigra quadam atque uiscosa gleba, quam Darine uocant, cuius incendium grauem spargit odorem. Utuntur quoq; stramine & stercore bouino ad solem torrefacto pro ignis fomento.

Flandria Gallica. Insula ciuitas.

Halleces.

Carbonaria sylua.

In quanto

In quanto periculo sint Flandri ob

æstum & sæuitiam maris.

Quando flat Corus, quem uentū nautæ uocāt Norduest, & est medius inter uentū septentrionalem & occidentalem, magno impetu cōmouetur mare, arbores quoq; turres, ecclesiæ & sublimiores edes grauius quatunt, & interdum ad terram deiiciuntur. Excitant etiā nonnuncq; tam horribiles procelle in mari, ut sic cōmotæ longè in terrā agātur, rumpant aggeres, inundēt fossas, dissipent sepe, destituantq; omnia obstacula contra impetū earū humana industria obiecta, quemadmodū anno Christi 1374. in Octobri factū scimus, quādo multa oppida inundatione maris perierunt, nēpe Auenkerck, Hama, Isendijck, Ostmanskerck, Westend, Varna & Waverlet, ac deinde nostra tempestate anno 1530. in Nouēbri tam horredo impetu cōcussum est mare, ut æstus eius deuastrauerit plurima loca maritima, omnesque ciuitates maritimæ multū incommodatę fuerint, præsertim Calestū, Grauelinga, Mardychū, Dunkerkū. Neoportus, Clusa, Quatuor officia, Antuuerpia & ferè tota Selandia. Prope Neoportum alique naues in portu hærentes, subito in profundum sunt protractę, agger in duobus locis ruptus & mare potenter in terrā Francam intrōmissum, porta una & pons ciuitatis diffracti, magnaq; pars insulæ Cadsant prope Clusam submersa. Inundantibus autē mari & fluminibus cum magna hominum & rerum strage, nō tantū pagi, sed & oppida Flandriæ & Selandiæ enauigata fuerūt cymbis fluuiialibus. Ferūt maria omnia ad eò insolenter eo tempore aucta, ut ternis aut quaternis pedibus supergressa sint aggerem. Cumq; insula Bierliet undiq; & semper alluatur mari tempestuoso, quod ob eius cōtinuam commotionem uocant Dullart, id est, insanum, illa tamen euasit, & multi mirantur, quod in hunc usque diem non obruta fuerit fluctibus maris & planè submersa.

Nordwest.

inundatio maris.

Sequitur Genealogia dominorum & comitum Flandriæ.


- 1 Ludericus siue Lydericus de Harlebec.
 - 2 Engleranus filius Lyderici, à Germanis Ingram uocatus.
 - 3 Odoacer, ab alijs Audacher appellatus, filius Englerani.
- Ludericum, qui primū in sequenti genealogia tener locū, posuit Carolus magnus anno Christi 792. præfectū in Flandria ut syluestre regionē repurgaret à latrocinis que siebant in terra illa inculta. Extendebatur dominiū eius ab eo loco ubi hodie Brugæ sunt usq; ad Calestū & Bononiā. Nec poterit esse is Ludericus, de quo iam supra scripsi. Alij uerò scribunt, quod post mortem Estoredi patris sui in possessionē eius successerit, ac deinde à Carolomagno in Saltuarium & præfectum Flandrici litoris constitutus fuerit.
- 2 Engleranus Luderici filius, factus est post patrē Forestarius Flādriz anno Christi 808. Et quum regioni aliquot annis præfuisset, eliminassetq; rapacium hominum tyrannidem, mortuus est anno Christi 824. reliquitq; dominium filio suo Odoacro.
 - 1 Odoacer de Harlebec factus est post mortem patris sui Saltuarius Flandriæ, mortuus anno 837.
 - 4 Balduinus iste ferreus est dictus ob uirilem eius animū, fortiaq; facta. Abduxit Iuditham filiā Imperatoris Caroli Calui, quā antea habuerat rex Angliæ, ob quam rem aliquot annis nō potuit impetrare fauorē Imperatoris. Tandem tamen Imperator conuersus in clementiā, fecit eum primū comitem Flandriæ, deditq; ei in dotem totam Flandriā, quam & coronæ Franciæ subiecit, etiāsi tunc indiscreta esset à Romano imperio. Cū uerò Flandria tēporis successu plurimis adornaret urbibus, cresceretq; in diuitijs & sequestratū esset regnū Franciæ à Rom imperio, Flandria autē apud imperiū maneret, nullum non mouerunt lapidem reges Franciæ, quo illam rursus ad se traherent, multa passim excitantes prælia, quibus tamen parum promouerūt. Diuidunt duo isti amnes, Scaldis & Somona Flandriā in duas ferè partes. Est autē Somona ad occidentē Flandriæ & quicquid est citra Scaldem uersus Samonā, paruit iam à multis annis Gallis, & terra quæ est ultra Scaldem, ut est comitatus Alst, terra Vuasiz, Quatuor officia & Selandiæ insulæ, subiacet Romano imperio, à quo comes Flandriæ feudum illud habet, & est imperij Marchio. Ceterum hic Balduinus extruxit Brugis castrum contra Nordmannos, obijtq; anno post Christum natum 879.

k 2 5 Balduinus

Seuicia Nordmannorum.

Neustria uocatur Nordmannia.

5 Balduinus Caluus secundus comes Flandrix, habuit uxore filiam regis Anglia mortuusq; est anno 918. conditus Gandau. Tempore huius principis eruperunt ex septentrionalibus partibus Nordmanni, & irruentes in Flandriam, multa illa circa Scaldem intulerunt dana. Collecti ergo incolae strauerunt in Carbonaria sylua circiter octo millia, quae de hostes magis irritati, ceperunt multo crudelius grassari in terra, exurentes ciuitates uicos, Tornacu. Aldenburgu, Rodenburgum, Bononiam, Casletum, Hypram, Duacum, Taruannam, Antuuerpia, &c. Adeo sauebant, ut nemo illis posset resistere. Et ut cohererent a sua tyranide, dedit Carolus Caesar regi eoru uxore Gillam regis Lotharij filiam, delignauitq; pro dote regione Frisia. Deinde anno 888. Carolus Crassus Imperator dedit illis Neustria, quae ab ipsis Normandia est appellata, habetq; Rothomagum metropolim.



6 Arnolfus iste plurimum commendatur a prudentia sua. Is instaurauit & in meliorem statum redegit ciuitates Hyprensem, Furnensem, Bergen, Broburgen. Dixmuden, & quasdam alias ciuitates. Instituit quoq; Brugis, Cortraci & Casleti annuas nundinas atq; emporia.

7 Balduinus iste quartus fuit in Flandria comes, habuitq; uxorem Mathildem filiam ducis Saxoniae. Eo autem mortuo, uxor relicta duxit maritum Gotfridum comitem, genuitq; Gotfridum & Godelonem duces Lotharingiae.

8 Arnolfus quintus Fladriae comes, duxit uxorem Rosulam filiam Berengarij regis Italiae, quae mortuo hoc Arnolfo nupsit anno 988. Roberto Capeto regi Franciae.

9 Balduinus cum pulchra barba accepit uxorem Oginam principis Lutzelburgen filiam. Ipse dicitur condidisse anno Christi 1007, ciuitatem Insularum. Mortuus est anno 1035. Fuit autem uir strenuus atq; ob id Henrico sancto Imperatori ualde acceptus, ut etiam dono ab eo accipere mereretur Valachriam & reliquas Selandicas insulas, unde natum est perpetuum dissidium inter Flandriam & Holandiam, quod fere quadringentis durauit annis. Nam Holandi sibi uolebant uendicare harum insularum dominium, quod ante multos annos acceperant a Ludouico Imperatore, nepote Caroli magni. Sunt autem quinque insulae Selandicae, quarum nomina sunt Valachria, Scaldia, Zutbeuera, Nortbeuera & Borselia, quae uulgo appellantur Walachren, Scaldien, Zutbeuerland, Nortbeuerlad, land von Borselen.


10 Balduinus pius accepit uxorem Adelam filiam Roberti regis Franciae. Ipse con summavit inceptum a discipulo ciuitatis Insularum anno Christi 1054. Cinxit enim eam muro, muniuitq; arce. Natus fuerat in ea, & idcirco supra alias ciuitates amauit eam. Mortuus est anno 1067.

Insulae Selandicae.

Ciuitas Insularum.

11 Balduinus


11 Balduinus Montensis duxit uxorem Richildim filiam Raginerij comitis Montensis in Hannonia. Concessit in fata anno 1070. Soror eius Mathildis nupsit Guilelmo duci Normandiæ & regi Angliæ.



12 Robertus iunior filius Balduini Pij, cui pater dedit uxorem Gertrudem uiduam relictam comitis Holadiæ, assignans ei pro portione hereditaria quinque insulas Zelandicas, comitatū Alostanum, terram quatuor officiorū, unā cum ingenti summa pecuniæ. Adegit quoque eum iureiurando ut his cōtentus nunquā fratri foret iniurius. Erat enim Robertus tyrannico audaci ac proferoci, imperij cupidus, ad arma natus, & contra Balduinum placido ac mansueto ingenio. Celebratis uerò nuptijs in Holandia, Robertus indicens Phrisijs bellū, partē aliquā eius regiōis subegit, indeq; nomē sibi Frisio peperit. Balduinus uerò frater paulo post uita excedens cōmisit Roberto filiorū suorū tutelam. Arnolfo Flāndriam & Balduino Hannoniā testamento assignans. Eoq; defuncto poscebat Robertus tutelam iuxta formā testamenti. At Richildis relicta uidua negans tutelam, occasionē præbuit, ut ille se inimicū declararet domus Flāndriæ. Tunc Richildis feroci animo inuasit quicquid Robertus habuit in Flādris, nēpe comitatū Alostanū, quatuor officia, insulasq; Selādicas & aduersantes sibi aliquot uiros primores grauiter mulctauit. Quod uidentes Flāndri exacerbatē durū mulieris imperiū, scissaq; est Flāndriā in duas partes. Gandenses, Brugenses, Hypprenses, Corracenses, Caslerani, Furnenses, Burgen &c, sequuntur Robertū: Atrebatēs

Imperiosa mulier.

bates uero, Duacenses, Tornaceni, Audomarenses, Bononienses, &c. adhereret Richildi & Arnulfo filio eius Flandrensi comiti. Robertus autem expulit, Richildim & filium eius, qui fugientes uenerunt ad Philippum Fracorum regem, sollicitantesque illum obtinuerunt, ut rex cum exercitu ingrederetur Flandriam. Robertus uero cum suis, magno impetu & ardore hostem imparatum inuadit, in fugam uertit & Richildim capit. Cumque & ipse caperetur ab hostibus, pro sua liberatione coactus est Hannoniensi bus Richildem reddere, quae Casleri seruabatur. Deinde rursus factus est cum hoste congressus, ceciditque inter alios, comes Arnolfus, Richildis uero cum filio Balduino fugatur in Hannoniam. Ferunt in hoc proelio ad uiginti duo occubuisse hominum millia. Robertus itaque Flandriam per uim obtinuit.




Hannonia subijctur ecclesiae Leodiensi.

Duxit autem tandem alteram uxorem, filiam scilicet Bernhardi ducis Saxoniae. Richildis uero ut recuperaret filio superstiti paternam ditionem, conuersa est ad episcopum Leodiensem, & assensu Henrici Caesaris subiecit illi in perpetuum Hannoniam, seque ecclesiae Leodiensis professa est beneficiariam, impetrauitque ab eo magnam uim pecuniae, qua nouum bellum instaurauit, sed inanes erant omnes eius conatus. Gerebat deinde continenter Robertus bellum cum nepote suo Balduino Montefi, iusto Flandriae haerede, qui pro indignissimo habuit, paterno se per patruum spoliari principatu. Firmatis uero in pace rebus Robertus profectus est in Syriam, & reuersus mortuus est anno 1093. cuius filia Adela nupsit Canuto regi Daniae, sed qui postea furore Danorum fuit interfectus, propterea quod eis persuadere conaretur, ut decimas penderent suarum frugum, unde uiuerent sacerdotes. Canuto occiso, Adela regina tam efferae gentis declinans furorem, cum Carolo impubere clanculum profugit, rediitque in Flandriam ad patrem, duabus in Dania relictis filiabus. Nupsit autem postea Rogerio duci Apuliae. Gertrudis uero altera filia nupsit primum comiti Louaniensi, deinde Theodorico Landgrauio Alsatensi.

15 Robertus filius Roberti rerum potitur apud Flandros, una cum uxore Clemetia, filia comitis Burgundiae, profectusque est cum principibus, comitibus & alijs militibus, & qui

qui magnam expeditionem parauerunt in terram sanctam cōtra Saracenos. Reuersus ue-
 ro anno 1100. cum incredibili læticia est acceptus à suis. Deinde anno 1111. in bello Angli-
 co interijt. Cōfossus enim equus eius, ipse autem lapsus & oppressus tertia die expirauit.
 14. Balduinus cognominatus fuit Securis, à summa legū seueritate, siue quod ueterū
 regum more securim manu gestare consueuerit. Hic furū latronumq; licentiā, quæ militan-
 te in Asia patre incruduit, puniuit acerrimè, tutumq; negociatoribus præstitit accessum.
 Cumq; demum Francorum regi opem ferret contra Anglum, uulnus letale in capite acce-
 pit, unde tandem mortuus est, postquam Carolum suum amitinū, Danorum regis filium,
 instituisse hæredem.



15 Carolus. Hic ita se gessit, ut malis esset formidini, à bonis autē impensè amaretur.
 Cæp anno 1126. ingens fames oboriret in Flandria, tanta huius principis fuit erga paupe-
 res miseratio, ut uno quodā die Hypris septē millia & octingētos panes, præter pecuniam
 & uestes, egenis distribuerit, ceruisia cōfici inhibita, iullisq; occidi tota Flandria canibus.
 Eodem anno oborta contra eum Brugis conspiratione, optimi principis caput in templo
 orantis ab impijs tam grauiter est percussum, ut cerebrum eius in pauimentum spargere.
 Sed parricidæ comprehēsi exquisitis supplicijs sunt interfecti, Carolo itaq; interfecto no-
 ua fit concertatio pro principatu Flandria, inualuit tamen Ludouicus Francorum rex, qui
 Guilelmum Normannum comitem Flandriae nuncupauit.

Canes tēpore
 fames occidunt.

19 Guilelmus Normannus à Flandrorum comitum stemmate, Mathildem Baldui-
 ni pñ filiam, paternam habuit auiam, sitq; comes Flandriae, cum tamen alij essent competi-
 tores propinquiores. nempe Arnolfus Danus, nepos ex sorore Caroli, Theodoricus Al-
 fatius. Hic itaque Guilelmus ab Henrico Angliae rege patruo suo, Normannia exactus,
 agrè susceptus à Flandris, persecutus est Arnolfum Danum, cōegitq; eum redire domum
 qua uenerat. Deinde cogitans de recuperāda Normānia, imposuit noua & inaudita Flan-
 dris uectigalia, magistratus precio creauit, omniāq; illi pecunia erant uiliora. Videntes er-
 go Flandri

Landgravius
Alsatie fit co-
mes Flandrie.

go Flandri inexplebilem eius auariciam & intolerabilem rapacitatem, clanculum confu-
tabat, quid factu opus esset, censebantque eucandum Theodoricum Landgrauij Alsatiens-
sis filium. Veniens ergo Alsatius acceptatus est à Flandris & Guilelmus eiectus. Grauius
itaque Guilelmus offensus, undique militem collegit. Theodoricum in Insula oppugnat, sed
nihil effecit. Diuertens ergo ad Alostanos cepit illos grauius affligere, si quo pacto Theo-
doricum eliceret ad praelium. Videns autem Alsatius uim hostium Alostanis grauius im-
minere, magno se animo ad illos contulit. Et cum Guilelmus ad portas usque Alostanas Al-
satum insequeretur, balista ictus paulo post decessit, anno scilicet 1128.

Inundatio
maris.

17 Mortuo Guilhelmo Normanno, Theodoricus Alsatius Roberti Frisij ex filia ne-
pos rem Flandricam suscepit. Hic primam habuit uxorem, relictam Caroli comitis prede-
cessoris sui, qua mortua duxit Sibyllam, filiam Fulconis Andegauensis Ierosolymorum re-
gis. Huius temporibus nempe anno 1135. Oceanus se effudit in continentem, bonamque Flan-
driam, Hollandiam ac Frisiam partem subito submersit, magna tum hominum tum pecudum multitu-
dine extincta. Anno 1138. Theodoricus comes cura Flandriam uxori Sibyllam deman-
data, profectus est magno comitatu in orientem, socero suo regi Ierusalem opem latu-
aduersus Aegyptiorum barbariem. Deinde anno 1147. rursus professus est sacram-
militiam. securus Conradum Cesarem, reuersusque tandem anno 1150. tradidit filiam suam
Margaritham Balduino comiti Hannoniensi uxorem, eaque ratione sublatum est bellum quod
fuit inter Flandros & Hannonienses. Anno 1157. Theodoricus cum Sibylla uxore tertio
profectus est Ierosolymam ut Balduino Ierosolymorum regi opem ferret contra Saracenos.
Vbi Sibylla abdicato mundo monasticam esse professam. Theodoricus uero omni uita pie-
tate insignis, religione illustris, munificencia clarus, fortitudine, iusticia ac rerum gestarum
magnitudine inclutus, anno 1168. Grauelingis moritur.

18 Phillippus Alsatiensis mortuo patre suscepit rerum gubernacula, adiecitque Flandriam
sore uxorio omnem Veromanduorum comitatum. Soror eius Margarita nupsit Balduino fi-
lio comitis Hannonie. Mathæus uero frater duxit uxorem instigante Henrico Anglorum
rege, Mariam monialem & abbatissam, comitem Bononie, factusque est ad eum modum
comes Bononie: ex qua duas tulit filias Idam & Mathildem. Sed statim aqua & igni à Re-
morum pontifice interdictus, coactus est illam remittere ad monasterium. Ida successiue tres ha-
buit maritos, Gerardum comitem Geldrie, Bertholfum ducem Zeringie, & Reginaldum
comitem de Castris. Mathildis uero nupsit Henrico comiti Louaniensi. Et cum pater eor-
um Mathæus sine uirili semine ante oppidum quoddam sagitta ictus decederet, nec à Phi-
lippo ob coniugis fertilitatem speraretur hæres. Philippus magno affectus dolore, Petrum
fratrem retractum ab ecclesia Cameracensi, ubi fuerat episcopus electus, equestri donauit
dignitate, ac comitem Niuernensem matrimonio illi copulauit, ex qua ut filiam unicam

Vnde tot leo-
nes in insigni-
bus.



Sibyllam suscepisset, accepto ueneno interiit. Philippus ergo anno
1177. sororem suam Margaritam Hannonie nuptam comiti, hære-
dem instituit, & ad cognatum suum regem Ierosolymitanum in Sy-
riam profectus est, ubi cum aliquandiu mansisset redijt sequenti an-
no domum, assumpto leonis nigri nouo signo. Principibus enim Bel-
garum parantibus nouam expeditionem in Syriam, assumpserunt uir-
riorum colorum leones, relictis ueteribus insignibus. Anno 1182. mor-
tua est Elisabetha Philippi principis uxor, comitissa Veromandie, lon-
go & insanabili implicata morbo. Duxit deinde Philippus comes
alteram uxorem, Mathildem filiam Alfonsi regis Portugallie. Anno

uero 1191. succipiens arma sacra mortuus est in Syria, postquam rexerat Flandriam 24 annis.
19 Margarita soror Philippi & uxor Balduini comitis Hannonie. suscepit guber-
nacula Flandrie, licet multa loca ei auferrent, nempe Atrebares, Aria, Fanum, Odomari-
comitatus quidam cum tota occidentali Flandria usque ad fossam nouam qua Ludouico re-
gi attribuebantur. Deinde Mathildi relictæ uxori uidua sunt assignata usufructualia in ui-
ta possidenda, Duacum, Insula, Slusa, Casletum, Furnæ, &c. Balduinus itaque uxoris nomine
salutatus est comes Flandrie. Decurtato autem comitatu Fladrico, Gadauenses inter ceteras
ciuitates primas sibi uendicabant partes, summamque imperij ad se retrahebant, indigne ferentes
quod tanta Flandrie portio ad Gallos abiisset. Margaritam ac Balduinum recipere recusauerunt,
nisi prius ipsorum consuetudines, atque ea quæ illis Philippus comes dedisset priuilegia confir-
massent.

massent. Mortua autem Margarita anno 1194. salutatur comes Flandriæ Balduinus filius eius, successurus quoque patri in Hannonia.

²⁰ Balduinus Balduini filius uxorem duxit Mariam filiam Henrici comitis Capaniæ, Philippi regis Franciæ ex sorore neptem. Fit deinde Imperator Constantinopolitanus anno 1204. Cumque sequenti anno Adrianopolim urbem obsideret, commisso prælio interemptus est, ac postea nunquam uisus. Frater eius Henricus duxit uxorem Petri Namurcensis filiam. Soror uero Elisa seu Isabella nupsit Ludouico regi Franciæ, futura mater sancti Ludouici: atque ob eas nuptias diuisa est Artesia à Flandriâ & sorori in dotem assignata, quod posteris temporibus multorum præliorum fomentum fuit. Porro Iolen aliam sororem matrimonialiter duxit Petrus Altifiodorensis, ex quibus natus est Robertus Imperator Græcorum & Philippus comes Namurcensis. Sibyllam tertiam sororem duxit uxorem Gerardus comes Lutzeburgenus.

Comes Flandriæ fit imperator.

²¹ Iohanna filia Balduini anno 1211. conciliante Mathilde Portugallensi nupsit Ferdinando Sancti Lusitanæ regis filio. Eodem tempore Bocharus Aueniensis ex Britannia duxit uxorem Margaritam Iohannæ sororem, cui tutor fuerat attributus. Fuerat hic Bocharus à Philippo Alfatio à teneris educatus, literis imbutus & tandem Aureliani professor sacris iuris civilis, deinde Archidiaconus Laudunensis ac Canonicus Tornacensis atque sacris initiatus propinquis inscijs. Dehinc rediit in Flandriam laico habitu specieque equestris summo stimulans ordinem. Reliquit quotquot habuit sacerdotia atque ad studia militaria & equestrum dignitatem se transtulit. Huic Balduinus Imperator ad Asiaticum accinctus bellum, liberorum suorum tutelam commisit & procuracionem Flandriæ Hannoniæque. Eo in munere impigre ac dexterrime uersatus, magnas sibi opes ac diuitias parauit. Postquam autem innotuit eum esse subdiaconum. Iohanna principe omnibus eum modis insectante, trepidus & sumplex refugit ad Papam, si quo modo expediri à sacris atque manere in matrimonio posset.

Sacris initiatum duxit uxorem.

At Papa iubet ut Margaritam dimittat, illique & sorori eius de tanta iniuria satisfaciatur, in super in Asiam proficiscatur militaturus contra barbaras gentes, & reuersus in suscepto semel uiuendi instituto æternum maneat. His oneratus mandatis in Syriam proficiscitur, sed dum inde reuersus conspecta uxore ac liberis, dixisse fertur, uiuum se malle exorari quam cõplere ea quæ Romanus iniurerat, Tunc à Romano pontifice interdicitur participacione piorum, mortuusque est anno 1221. Sunt qui scribunt eum diu Brugis in uinculis detentum & tandem Rupelmonde capite truncatum. Porro Ferdinandus grauissima cum rege Gallicæ gerens bella tandem ab eo captus est anno 1214. Anno 1225. exortus nebulo quidam perturbauit omnem Flandriam Hannoniamque, ausus scilicet se mentiri Balduinum Iohannæ comitissæ Flandriæ patrem apud uulgos nunquam non mobile, eo quod statura corporis, & linea mentis haud admodum male Balduinum referret. Veniensque Cõpendium cum magno comitatu, toga uestitus rubra, albamque dextra gerens uirgam, ab episcopo Bellouacorum publice interrogatus, ubi loci ac quo die celebrasset sponsalia cum Maria Capanâ, hæres æstuasque esset interrogatus, quo loco in uerba iurasset Philippi regis, item abs quo atque ubi balteo primò obmutuit, deinde tridui petijt spacium ad respondendum. Ob hæc aliamque huiusmodi pro impostore habitus, fide qua uenerat dimissus est, & fugiens uenit in Burgundiam, ibique captus uenditus est Iohannæ comitissæ 400. marcis argenti. Tum se aperire coactus fatetur suam audaciam & nequitiam, traductusque per omnia oppida Fladriæ & Hannoniæ, causaque eius Insulæ in iudicio cognita patibulo strangulatur. Uulgos tamen Iohannam suspendisse patrem suum fabulabat, eumque tam foedum de muliere optima in hanc nostram memoriã transmiserunt.

Obscurus quidam fingit se imperatorem.

Pronum est semper uulgos indocile ad stultas falsasque concipiendas opiniones. Anno 1226. interuentu Blanchæ reginæ Ferdinãdus comes Flandriæ à uinculis est solutus, post annos scilicet 12 ac quinque menses que fuerat captus grauissimis præscriptis conditionibus. Mortuus est deinde Ferdinãdus anno 1233. Iohanna uero relicta uxore anno 1237. nupsit Thomæ fratri comitis Sabaudia, que & ipsa mortua est anno 1244.

²² Margarita soror Iohannæ principis, nupsit post mortem Bochari primi mariti, de quo iam scripsimus, Guilelmo Dapetre Burgundici sanguinis uiro, genuitque Guilelmum, Guido nem, Iohannem & Mariam, maritus uero obiit die suam anno 1241. Margarita autem post mortem sororis & mariti successit in regnum, cepitque cum filio nato maximo prudenter ac strenue gubernare. Initio tamen administrationis, Friderici Cæsaris & Leodiensis episcopi, offensam incurrisse memorat, eo quod iureiurando se illis non deuinxisset, de quo Hannonia fidem in tempore non iurasset. Anno millesimo ducentesimo 45 oritur de successione Flandriæ inter Margaritæ filios magna contentio, adeo ut Guilelmus, Guido & Iohannes posteriore tho-

10 procreati,

ro procreati, Iohannem ac Balduinū fratres suos ex matre per ignominia, nothus appellarent, Iohannes uero Aueniensis subnixus ope comitis Holandiae, cuius sororem duxerat uxorem, matri suae bellum indixit, eo quod Guilelmo Dampetrae posterioris thori primo genito Flandriam post se destinaret, quam sibi debitam contendebat. Factum tamen est ut arbitrio magnorum uirorum dissidium illud taliter componeretur, ut post mortem Margaritae Dampetra Flandriam, Aueniensis uero adiret Hannoniam, suisque uterque fratribus iuxta consuetudinem per sortem bonorum prouideret. Iohannes uero pertaxus longam matris uitam, rebellionem faciens matri, inuasit Hannoniam, deuixitque se iureiurando episcopo Leodiensi & hinc Flandriae quoque partes quasdam, nempe Vuasios, Quatuor officia, Alostanos, &c. populari coepit, causatus Flandricum dominatum & quicquid beneficio imperii teneretur, non esse cognitionis regis Franci. Margarita cognitus hostium uiribus in conditiones descendit, pacem a filio redemit, sexaginta millibus aureorum numeratis eidem. Porro frater eius Guilelmus Dampetra, cui designata fuit Fladria, profectus ad militiam sacram & captus a Soldano cum alijs multis Christianis principibus atque magno auri pondere liberatus, rediit miserabiliter est in Hannonia occisus, quod Iohannis Balduinique fratrum, qui pessime illi oderant, prodicione factum scriptores testantur. Incrudescit nouum bellum, uincitur Margarita, capiuntur filij eius Guido ac Iohannes ab Holando, qui Iohanni Aueniensi opem tulit. Offeritur Holando magna uis pecuniae ut captos liberos reddat, sed frustra hoc & alia tentantur. Paulo post Guilelmus Holandus in Frisiam proficiscitur ut bello eam gentem quateret, sed uictus & occisus est ibi. Dumque aliena conatus est rapere, perdidit sua. Siquidem Iohannes Aueniensis ex clade Guilelmi adeo fractus est, ut ex moerore animi morbo correpto, haud diu post finem fecerit uiuendi. Sicque liberati sunt Guido & Iohannes Flandrenses, sed non sine grandi aere. Factum quoque est matrimonium inter Florentium filium Guilelmi regis & Beatricem Gudonis comitis filiam, cui Selandia pro dote quoque est assignata, appellatusque est Florentius primus Selandiae comes, quam cum omnibus ipsius insulis possedit.

23 Guido comes Isabellam Luceburgensis filiam duxit uxorem, factusque est anno 1278 princeps Fladriae quando mortua est mater eius Margarita. Iohannes uero Iohannis Aueniensis filius adiit Hannoniam. Guido successiue duas habuit uxores. Ex prima, Mathilde scilicet, sustulit nouos liberos, & ex alia Luceburgensi, sex. Obijt anno 1304. in uinculis regis Francorum.

24 Robertus Beturiensis patri successit in comitatu Flandrensi, contraxitque matrimonium cum filia ducis Burgundiae, mortuus anno 1322. Beatricem sororem eius accepit uxorem comes Holandiae, factusque est comes insularum, ut iam ostendimus. Iohannam uero aliam sororem duxit princeps Iuliacensis, sicut & Iohannis Namurcenis. filiam Margaritam duxit alius comes Iuliacensis. Porro filia eius Mathildis nupsit duci Lotharingiae.

25 Successit Ludouicus iste auo suo Roberto in principatu Flandriae. Mortuus est enim pater eius ante auum. Habuit autem uxorem filiam Philippi Longi regis Francorum.

26 Ludouicus Malanus, dominus Flandriae, Niuerniae, Rastelle, & post matris suae mortem dominus Burgundiae, Artesiae & Salinae. Accepit autem uxorem Margaretam filiam Iohannis ducis Brabantiae, factusque est per eam dux Brabantiae, Lemburgi, Lotharingiae, &c. Dicitur est Malanus a certo quodam loco.

27 Margarita unica filia Ludouici Malani & haeres Flandriae, Artesiae, Salinae, Niuerniae, Rastelle, Burgundiae, Mechliniae, Antuerpiae, &c. Haec nupsit Philippo filio regis Francorum, qui per eam factus est dux Burgundiae & comes Flandriae. Frater eius rex Carolus dono dedit fratris socero quater centena millia coronatorum. Mortuus est autem mulier anno Christi 1404. relictis multis liberis, inter quos Catarina uxor facta est Lupoldi ducis Austriae, Maria uero nupsit Amedeo duci Sabaudien. genuitque Ludouicum ducem Sabaudiae & Mariam uxorem uiccomitis Mediolanensem. Porro Margaretam duxit uxorem comes Holandiae & Hannoniae. Discrepant tamen ista paululum ab illis quae supra in genealogia ducum Burgundiae sunt dicta. Antonio obuenerunt Brabantia, Lotharingia & Lemburgum. Philippus uero frater Antonij factus est dominus Niuerniae & Rastelle. Porro Vgellani filiam accepit Iohannes Cluensis.

28 Iohannes dux Burgundiae & comes Flandriae duxit uxorem filiam comitis Hannoniae & Holandiae, mortuus 1419. Reliquit autem filium unum & multas filias. Margarita in duplici coniugio sterilis fuit. Isabella & Catarina quoque sine liberis decesserunt.

29 Philippus pius, dux Burgundiae & comes Flandriae duxit uxorem Isabellam regis Portugalliae filiam, cumque nepos fraterne moreretur, factus est quoque anno 1430. dux Brabantiae.

Dampetra captus a Soldano no.

bantiæ. Genuit proinde tres filios, e quibus Iodocus & Antonius sine liberis decesserunt.

³⁰ Carolus, potentissimus dux Burgundia, Brabantia, comes Flandria, &c. cuius prima uxor fuit filia Caroli regis Francorum 7. ex qua nullam sustulit prolem. Altera fuit filia Caroli ducis Borbonia, & tertia soror regis Anglia. Interijt hic dux Carolus anno 1476.

³¹ Maria filia unica Caroli Burgundi, cuius mater Elisa filia fuit ducissæ Bourbonis, hanc duxit Maximilianus anno 1478. mortuq; est anno Christi 1481.

³² Philippus dux Austria, Burgundia, Brabantia, comes Flandria, &c. duxit uxorem Iohannam filiam Ferdinandi regis Aragonia & Elisabeth regina Castellæ atq; Legionis. Mortuus est autem Philippus anno 1506. Margarita uero soror Philippi primæ desponsata est Carolo 8. regi Gallia, deinde Iohanni filio regis Castellæ & Aragonia q fuit frater uxoris Philippi, tertio duci Sabaudia Philiberto, postea multis annis uixit in uduitate.

³³ Carolus rex Hispania & Imperator, comes Flandria, &c. duxit Isabellam filiam Emanuelis regis Portugallia. Soror uero eius Leonora primam ducta est matrimonialiter ab Emanuele rege Portugallia, deinde à Francisco rege Gallia. Isabellam uero duxit Christiernus rex Danoru. Et cum rex ille excluderetur regno, fuit regina Gandau, ibiq; mortua est. Catarinam uero duxit Iohannes rex Portugallia, filius Emanuelis.

De regione Luceburgensi.

Fuit primam regio ista comitatus, sed postea comitatus fuit comutatus in ducatum Henricus septimus Cæsar, fuit comes Luceburgensis non autem dux. Tempore Vuenceslai regis Romanorum atq; Bohemia, fuit comitatus iste sublimatus in ducatum, licet Conradus Vecherius secus sentiat, nempe, quod Henricus Cæsar ex comitatu fecerit ducatum. Iohannes rex Bohemia captus oculis, habuit aulam suam & curiam Luceburgi, multaq; beneficia collocauit in habitatores huius regionis. Habuit hic comitatus & regnum Bohemia centum annis & supra, gubernatores de una & eadem familia. Postea uero separata sunt ab innice, mansitq; Luceburgum apud foeminam Bauaricam, quæ iurisdictionem suam uendidit Philippo duci Burgundia. Haud secus Wilhelmus dux Saxonie ius suum quod in Luceburgo habuit, uendit dominis Burgundia. Cumq; Cæsar Maximilianus succederet duci Carolo in Burgundia, simul factus est heres Luceburgi. Et Cæsar modernus Carolus quintus, mox in baptismi lauacro à patre suo Philippo honoratus est isto ducatu, fuitq; primus eius titulus Princeps Luceburgensis. Quum duces Burgundia reru potirentur in hac regione designarunt gubernatores in ea, Dominum de Croy et Marchionem Rudolphum de Hochberg. At quum dominum eius assequeretur Maximilianus Cæsar per uxorem suam, quæ Burguda fuit, substituit ille in locum suum pro gubernatore Christophorum marchionem Badensem, idq; pro aliquot millibus aureorum. Principes ergo Badenses bonam seruantes economiam in hac Luceburgensi terra, defenderunt eam contra Galli & aliorum comitum (qui hostes erant) incursus, deiecerunt quasdam prædonum domos aut subegerunt eas, præsertim Bulligon, Eszdan, Rodenmach & Richersperg. Deinde Margareta ducissa Austria & relicta uidua ducis Sabaudien. filia Cæsaris Maximilianus, redemit oppugnationem gubernamenti à Bernhardo marchione Badensi, atq; designauit marchionem Montefi Brabantino. Quo mortuo, constitutus est in ea regione prefectus à Carolo, Imperator dapifer Hannoniensis. Quem inuadens Gallus sine præuia denuntiatione, fecit ferè totam terram suam ditionis, igni & gladio omnia uastans & perdens, anno scilicet 1542. & 1543. At Carolus Imperator paulo post omnia recuperauit. Est magnus & insignis nobilitum hominum numerus in hac terra qui & sua peculiaria habent priuilegia. Aliqui comites coguntur ibi



tur ibi profiteri se beneficiarios, nempe Manderscheid, Arenburg, Salm, Ryfferscheit, Ryneck, Kriechingen & Isenburg, cum alijs multis dominis & nobilibus. Habetur Luceburgi senatus sublimis & praeses unus inter consiliarios. Equestris ordinis uiri solent quotannis quater conuenire in urbe. Sunt in regione nemora multa, amnes non magni, aer salubris, & populus fidelis, cuius praecipuum studium est in pecoribus alendis, quae optima sunt in ea terra.

De ducatu Lemburgensi.



Hic ducatus haud procul ab Aquisgrano situs, fuit aliquando, nempe circa annum Christi 1172, comitatus, quando & propinqui comites Hannonienses, Namurcenses, Louanienses, (qui postea dicti sunt duces Brabantini) Holandenses, Luceburgenses, & reliqui circumiacentes, suas possidebant ditiones. Henrici Imperatores erexerunt hunc comitatum in ducatum. Qua ratione moti, non inuenio, quomodo iustus Flandria ad hanc dignitatem euehi debuisset, si tota Imperatorum agnouisset. Defecit autem hic ducatus ante multos annos in uirili successione, subiectaque est maior eius pars ducatu Geldresis. Sed cum anno Christi 1293, comes Geldresis caperet a duce Brabantiae, coactus fuit comes pro catus titulum suum a sua metropoli Lemburgo, quod oppidum non multum distat ab Aquisgrano atque a Leodio.

De terra & comitatu Holandensi.

Sumpsit initium comitatus Hollandiae sub Carolo Caluo, factusque est primus eius comes anno Christi 861. Theodoricus, de stirpe & familia regum Franciae, & mansit ditio illa apud posteritatem eius usque ad annum Christi 1345, quando comes Wilhelmus ultimus, filiam suam unicam cum comitatu tradidit Imperatori Ludouico Batauo. Reliquit Ludouicus comitatum filio suo Wilhelmo, qui & ipse unicam tantum habuit filiam, quam duxit comes Geldresis. Qua defuncta. Hollandia multos habuit competitores, qui pro ea contendebant, nempe Geldrenses Batauos & Burgundos. Tandem post mortem Iacobae, Burgundus factus est dominus eius, sicut & antea patris ostensum est. Siquidem Guilelmus ultimus comes Hollandiae, habuit uxorem filiam Philippi ducis Burgundiae. Signabitur autem genealogia horum comitum infra in Germania, ubi huius regionis quoque fiet mentio copiosior. Habet hodie ciuitates florentissimas, inter



quas Amsterdamum primas tenet, urbs propter mercimonia, quae ibi exercetur, toto orbe celebris. Ipsa instar Venetiarum alluitur atque circumluitur aquis marinis, creuitque ex obsecuris casis in eum splendorem, quem habet hodie, unde Nicolaus Cannius:

Hac illa est Batauae non ultima gloria gentis,

Amnis cui nomen cui cataracta dedit.

Dicta prius Damum, raris habitata colonis.

Cum contenta casis rustica uita fuit.

Hinc Aemsteldamum iam facta celebrior, utque

Fortunae, creuit tempore nomen item.

Urbs bene nota prope atque procul distantibus oris.

Dotibus innumeris suspicienda bonis.

Diues agri, diues praeciosa uestis & auri.

Ut pleno cornu copia larga beet.

Quod Tagus atque Hermus uehit & Pactolus, in unum

Verè huic congestum dixeris esse locum.

Reliqua



Reliqua quæ memoratus Cannius de cultu, nitore, magnificoq; decore, religionis cura, de fecundis ingenijs hic natis & alijs id genus rebus hoc loco cõmemorat, breuitatis gratia omittimus, ad alia transituri, præsertim cū infrà copiosior de Holandia & eius ciuitati bus sit mentio habenda. Roterodamum alia Holandiæ ciuitas, uel saltẽ hoc nomine clarissima, totoq; orbe celebratissima, quod in ea natus est & à puericia educatus, doctissimus ille Erasmus Roterodamus, bonarum literarum antistes et reparator, Germaniæ, maxime Batauæ gentis, unicũ decus, qui de patria sua in Chilsadibus in hunc scribit modũ: Fuerunt Bataui Germaniæ populi, Cathorũ pars, qui domestica seditione pulsati, extrema Gallicæ oræ uacua cultoribus simulq; insulã inter uada sitam occupauere, quã mare oceanum à fronte, Rhenus amnis tergũ ac latera circumlucit. Gens tum bello ualida, tum opibus pollens, cuius terrã nunc Holandiã uocãt, mihi semper & celebrandã & uenerandã, ut cui uitæ huius initiũ debeam. Atq; utinã illi nos tam possimus honestamẽto uicissim esse, quã illa nobis non est pœnitenda. Nam si mores eius domesticos spectes, non alia gẽs est ad humanitatẽ, ad benignitatẽ propensior, cuiq; minus adsit uel feritatis uel truculentia. Ingenium simplex & ab insidijs, omniq; fuce alienum, nullis grauibus obnoxiiũ uitijs, tantũ ad uoluptatẽ, præcipue cõuiuiorum aliquanto deditius. Cuius rei causam esse puto, mirã rerum omnium exuberantiam, quibus uoluptatis studiũ irritari solet, idq; partim ob cõmoditatem importationũ, quod non solũ occupat duo nobilissimorũ fluminum ostia, Mosẽ Rheniq; uerum etiã q; aliquãta sui parte Oceano alluitur, partim ob natiam regionis ubertatẽ, ut quæ passim nauigabilibus ac piscosis interluatur fluuijs, pasuis uberrimis abundet,

- A. Vetus ecclesia
- B. Noua ecclesia.
- C. Prætorium.
- D. S. Clara
- E. Expansoria
- F. S. Margare.
- G. Minorita.
- H. Beata uirgo
- K. Leprosi.
- L. S. Magdale.
- M. S. Barbara.
- N. Paulini.

Erasmii facies
a. l. uinum ex-
pressa.



abundet. Ad hec autē infinitā copā paludes, saltusq; suppeditat. Proinde ne-
gant aliam inueniri regionē, quę simi-
li spaciō tantū oppidorū contineat me-
diocri quidē magnitudine, sed incredi-
bili politia. In domesticę suppellectilis
nitore, palmam uni cōcedunt Holādię
negociatores, quibus pleraque pars or-
bis est peragrata. Medioeriter erudito-
rum, nusquam gentium frequentior nu-
merus. Hęc Erasmus.

De Comitatu Louaniensi.

Comitatus Louaniēsis fuit olim ma-
gni nominis, habuitq; sub se bonā Bra-
bantię partem, cui & comites Ardēses
præfuisse referunt. Tandem uerō hi co-
mites relicto ueteri titulo usurparunt
titulū Brabantię, ut suprà in Lotharin-
gię descriptione indicauimus. De duci-
catibus Iuliacēsi, Cliuēsi, Montenſi et
Geldrenſi infrā faciam mētionem, ubi
ad Germanię peruenero descriptionē.

De Britania.

FVit Britannia aliquandiu sub regibus Gallię, deinde paruit ducibus Normandię,
& tandē propriū aliquot annis habuit ducem. Vltimus appellatus fuit Franciscus,
qui unicam filiam suam desponsauit Maximiliano archiduci Austrię. Cumq; Ma-
ximilianus proficisceretur in Gallię ut illam sibi duceret uxorem, præuenit eū rex
Francię Carolus octauus, præripuitq; hanc prædam. Nullam tamen ex ea sustulit prolem.
Moriturus autem designauit eā sororio suo Ludouico, qui sibi in regno erat successurus.
De qua re Kranzius scribit: Multis seculis ducē suū sortita est Britannia usq; ad annum
ferē 1490. quo nouissimus dux Frānciscus sola filia relicta decedens, Romanorū regi Ma-
ximiliano cū despōsa filia eius, potiūdā spē fecit, sed præuenit eū rex Frācię Carolus 8.
qui deductā puellā Romanorū regi, ubi Franciā pertransire cōstituit, detinuit, sibi iunxit,
reginā uocauit, & ipse moriēs sine prole, successori suo Ludouico pridem Aurelianensī
duci, pridem sororio suo relicta coniugem habere fecit, monstruosis semper nuptiis infe-
licem fœminam, nulli prouenientem marito, nisi quem iure tenere non poterat.

Historię quædam succinctæ, & alia quę in Gallię regno sunt gesta, ab Hunorū temporibus usq; ad nostra secula.

Passa est Gallia multas & diuersas afflictiones à gētibus passim irruētibus, postq;
subacta fuit à Francis. Nam irruerunt in eam magno fremitu, post Britānos Nort-
mandi, Gothi, Hui & Vandali, sicut & Germania per posteriores tres gentes sæ-
pe grauitè fuit afflictā. Cæterū unde gentes illę processerint, dicā infrā, ubi Ger-
maniam cœpero describere. Vnde Britanni et Nortmāni uenerint, iam satis ostendimus.
Anno Christi 455 uenit Attila Hunorum rex cum tanto exercitu hominum, qualem
Europa antea nunquam uiderat, quem passim ex diuersis collegerat immanibus hominib;
bus, Sarmatis, Scythiis, Gepidis, Quadis, Herulis, Rugis & Turcilingis. Scribūt historici,
colluuiem illam fuisse quinquies centenorum milliū armatorum uirorum, quos tyrannus
ille simul habuit. Venit autem ex Pannonia inferiori & ingressus Italiā, subuertit & deua-
stauit obuia quęq; potissimum Treuerim, Metim, Tungros, & alias multas ciuitates, ca-
stell.

stella, arces, & uicos, quousq; peruenit ad Catalaunicos campos, qui non longè absunt à Tolosa prope Vasconiam. Venientes illuc Romani, qui Galliam adhuc pro magna parte subiectā tenebant, ut incolis opem ferrent cōtra tam horrendum & crudelem hostem, collegerūt ingētem exercitū, cuius dux fuit Aetius, uir in bellicis rebus exercitissimus, quippe qui Valentiniani Imperatoris in occidentalibus partibus fuit summus dux militiae. Adiunctus quoq; fuit illi Theodoricus Visigothorū rex, item Meroueus rex Francorū cum suis, qui ante paucos annos aduenire concesserant in Galliam, Saxones quoq; Parisij & omnes qui uiribus ualebant, etiamsi antea inter se dissidia habuerunt, iam ob communem hostem facti sunt amici, modò hunc publicum hostem arceant à terminis suis. Erant enim homines robustissimi, qui iam multas deuicerant & subegerāt regiones. Nec in eū usq; diem ullus fuerat populus, qui ausus fuerit praelium committere cum eis: quapropter necessum erat, ut omni quo poterant modo sibi prospicerent, quatenus æquo Marte cum illis congredierentur. Aciebus itaq; utrinq; instructis, congressi sunt duo illi exercitus potulosissimi, cōmittitur praeliū tam atrox & horrendū, quale antea nemini innotuerat, nec fortasse unq; tale cōmissum fuerat. Pugnātū est à meridie usq; ad uesperā utrinq; acerrimè, nocte praeliū dirimente. Aiunt riuiulum quendā, qui humili ripa Catalaunicū præterfuit campum, peremptorum uulneribus humano sanguine sic auctū, ut instar rapidissimi

Catalaunica pugna.



torrentis effluxerit. Inclinare tamen ceperunt res Hūnorum, ut etiam fuga sibi salutem querere cogerentur. Quod uidens Attila, fugit intra castra sua, curauitq; constitui per circuitum quadrigarū munimenta, scutiferos & sagittarios, qui sese hosti opponerēt, quousq; ipse aciem suam rursū instauraret & in ordine disponeret. Iubebat etiam pyram construī ex stramine, sellis equorum & quibusq; ramentis, quæ facile incēdi posset, & in qua cōcremaretur, si hostes superiores forent, ne in manus illorū uiuus incideret, aut saltem sepultura non destitueretur, si in hoc praelio occumberet. Referuntur in eo praelio cecidisse supra centū sexaginta millia hominum. Et quamuis tyrannus uictus esset, id tamen solaciū tulit, quod Theodoricum Gothorum præstantissimū ducem obruncatū cognouit. Postera die uoluit Thorismundus filius Theodorici regis ulcisci patrem suū, in Attila Hūnorum rege: at Aetius cōsuluīt, ut expeditè paternum potius defenderet regnum quam hostem persequeretur, ueritus ne profligato Attila, impetū Gothi in Romanos uerterent. Sed perniciosum fuit cōsiliū: debellatus enim tum fuisset funditus Attila. Sed

numerus occisorum.



ubi retro abiisse hostes iam acceperat, ipse diuertit ad Remēs, oppugnataq; ciuitate obtinuit eam, & interfectis omnibus quos in ea inuenit, conuertit se ad Treas. Cui occurēs diuus Lupus episcopus, interrogauit eū in hūc modum: Quis es tu? At ille respondit: Flagellū dei ego sum. Comprehendens autem episcopus frēnum eius, dixit eum per ciuitatem, nullo illato damno. Post hæc ingressus Germaniam, non desijt scuire in ciuitates & alia quæq; loca, donec illi innotuit Aetium & Gothos nouū collegisse

*Attila pergit
in Italiam.*

collegisse exercitū, tunc rediens in Vngariam reparauit vires, & properās sauo animo in Italiam, profectus est per Stiriam & Carinthiam. Comperto autē per exploratores quōd in mōtibz ingentes hostium copiaz eius exspectarent aduentum, aliud arripuit iter, transiens ferens scilicet exercitum suum per Sclauoniā, & ueniens ad mare Adriaticū subuertit ciuitates quasq;. Aquileiā quoq; obsedit tribus annis, donec eam expugnauit, de qua suo loco in Italia quoq; scripturus sum. Mediolanum diruit, Ticinum disiecit, &c.

Ex flagitijs magnus.

Anno Christi 700. irruerunt Vandali in Galliam, & sauietes in homines & ciuitates cōfregerunt ecclesias, subuerterunt monasteria, expugnauerunt ciuitates, perdiderunt domos, desecerunt arces, atq; occiderunt innumeros homines, & in summa, uastabant omnia gladio & igne. Habuerunt etiā uice quadā regem, qui Crochus appellabatur, & is diruit Moguntia iuxta Rhenum, accepitq; hoc consiliū a matre sua, si cuperet magnus haberet nomē post se relinquere in terra, subuerteret magnas ciuitates. Cumq; postea cōfregisset Metim, & conaretur etiā Treuerim in fauillas redigere, eā nullo pacto expugnare potuit.

Ingens hominum caedes.

Anno Christi 721 Abdiramus Saracenorum rex, qui & Muca uocabatur, & iam decennio possederat Hispaniam, superatis montibus uenit in Vasconia & Aquitaniam, obtinuitq; Burdegallensem ciuitatē, & magno odio Christiani nominis, occidit passim omnes in ciuitate, tam mulieres quā uiros, iuuenes & senes, nec aetati nec sexui parcens. Profectusq; ultra aggressus est Pictauos, ubi rursus sauij in homines igne uastans omnia loca. Occurrens autem illi apud Turonenses Carolus Martellus, auus Caroli magni, uicit Saracenos & regem eorū, factaq; est tantā strages hominū, ut scribantur tunc occubuisse trecenta septuaginta quinque millia hominum: uenerant enim infideles cum uxoribus suis. A parte uerō Christianifidelium referuntur cecidisse duntaxat mille & quingenti. Nō multo interiecto tēpore, reuersi sunt Saraceni nauigio ex Hispania, atq; per Rhodanū ascendentes uenerūt Auinionem, quam & expugnauerūt. At Carolus Martellus sine ulla cōtatione collecto exercitu cōgressus cū Saracenis, atrocissimo praelio cōfligit cum eis, uicitq; & eripuit ciuitatē ex manib; eorū. Et nisi hic strenuus uir initio perdomuisset Saracenorū tyrannicas irruptiones, iam dudum totam Europā expugnassent, suaq; perfida fiducia conspurcassent. Fuit autem Martellus iste in aula regis summus dux, qui eo tempore Maior domus uocabatur, pendebantq; ab eo maiores regni causae & ardua quaeq; negotia de qua re & supra mentionē fecimus, ostendentes quomodo posteritas eius anno Christi 750 obtinuerit regnum & imperium occidentale.

Maior domus.



Iudaei expelluntur.

Templarij poenis afficiuntur.

Anno Christi 1180 fuit magna Iudaeorū multitudo in Gallia, de quibus spargebatur rumor, quōd singulis annis clanculum Christianum puerum captum ducerent ad subterraneum quendam locū, poenisq; affectū die Parasceues cruci affigerent. Quo audito, Philippus rex apprehendens Iudaeos, supplicijs eos affecit, octoginta uiuos excitaro rogo simul cremās, ac deinde anno Christi 1182 expulit omnes ē regno suo, prater eos q ad Christū sunt conuersi. Postea uerō quum propter bella inopia laboraret pecunię, accepta grandī a Iudaeis pecunia, reditum eis cōcessit, et domicilium Parisijs, sicut et Ludouicus post eum, ipsis totam aperuit Galliam.

Anno Christi 1307 sauitum est in Templarios & in totū ordinem eorū, potissimū in Gallia. Sunt qui illis imputauerunt magna scelera, nempe ambiguum coitum, sacrificia crudelissima humani sanguinis, et quōd simulachrū eis fuerit indutū humana pelle, cui ordinē ingressi rationē uitae profellifuerint, quōdq; Ierosolyma ditio eorū fraude Turcę cesserit, &c. Sed multi alij sunt in hac opinione, ut putēt Philippum regem, qui in proceres ordinis odium conceperat ob eorū diuitias, magis amore cōsequendarū opum quā religionis gratia, in eos tā grauius animaduertisse. Consensu enim Clementis Rom. Pont. cepit uno tempore omnes Templarios in Gallia, quorū ingens fuit numerus, uarijsq; eos poenis torquens, tandem igne cremauit. Monebantur autem in primis, ut qui supplicium euadere cuperent, damnarent ordinem suum ceu sectā inutilem, sed nullus erat qui nō in sua pertinacia perseueraret usq; ad mortem,

ad mortem, quicquid malè loqueretur de ordine suo. Ab initio mudi Gallia non uidit tristius spectaculum atque obstinatius exemplum, Iacobus huius militie supremus dux, seruabatur aliquandiu cum alijs tribus, ac deinde missus Lugdunum ad Clementem papam, monitus est ad confessionem, ubi & non nihil ipsum de ordine confessum producit. Reductus uero Lutetiam & in medium constitutus, rogabat ut paulisper audiretur. Datoque silentio, iureiurando affirmavit, ordinem suum non comersisse, ut sic puniretur. Quod autem aliquid Lugduni esset confessus, hoc magis pontificis uolenta coactione quam rei ueritate esset factum. Ipse sibi conscius non esset, quicquid a se & fratribus suis perperam gestum in ordine. Hac magna fatebatur uoce, atque intrepida mente expectabat mortem. Cumque rursus ipse et alij tres ordinis magistrj exquisitis torquerentur poenis, tam hilarem ac constantem prae se ferebant uultum, ac si insensibiles facti essent. Hac morientium constantia, causam ipsam ex parte regis magis ac magis suspectam reddidit, nempe quod magis auaricia quam Christianae religionis amore rex in ipsos tam seuerus fuerit. Illico enim post Templariorum interfectionem, spoliati sunt Iudaei per totam Galliam omnibus suis rebus, atque unica induti tunica expulsi. Philippus tamen rex praecebat pessima illorum facta, quo fucum aliquem praeceberet auariciae suae. Multa proinde aduersa passus est rex cum filiis suis, quae credita sunt eis accidisse propter iniusticias suas: multi etiam aestimantes illos iniuste passos, ut martyres uenerati sunt, tollentes deo te corpora eorum & ossa. Ferebant autem uestem albam sicut Teutonici fratres cum rubea cruce.

Regis Philippus auaricia.



Anno Christi 1322 rapiebantur in Gallia multi leprosi ad supplicia. Incitati enim a discedentibus Iudaeis, conspirationem inter se fecerunt, consiliumque inierunt, ut omnes fontes per Galliam intoxicarent, unde homines uel morerentur uel lepra inficerentur. Sicque malignum cogitatum effectui incipientes, parauerunt confectionem quandam ex sanguine & humana urina, quibus immiscebant uenenatas quasdam herbas, totumque includentes panno, & applicantes lapidem, demittebant in fontes. Quo comperto, Philippus rex fecit concremari in prouincia Narbonensi omnes leprosos, qui rei deprehendebantur. Simile exemplum statuit per totum regnum Galliae, de omnibus Iudaeis & leprosis, qui in hoc facinore rei inueniebantur. Capti quoque fuerunt & incarcerati Vitriaci quadraginta Iudaei, de quibus suspicio habebatur efficax, quod ad hoc facinus cooperati fuissent. Cumque illi nihil nisi imminentem cogitarent mortem, quam euadere nequirent, delegerunt duos ex seipsis, qui reliquos omnes interficerent, ne Christianorum manibus ad supplicium raperentur.

Leprosi facinus committunt.

Iudaei seipsum interficiunt.

Quo facto, senior inter duos superstites rogabat iuniorem, ut manus in illum inijceret, occideretque. Executus autem iunior & hoc homicidium, accepit omne aurum quod apud interfectos inuenit, & parato fune ex dilaceratis linteaminiibus, demisit se extra turrimum in subiectam terram. Funiculus uero pondus corporis eius non ferens, ruptus est priusquam ille ad ima peruenisset, & graui casu quassatus fregit crus unum, ut effugere non poterit ex fossa in quam cecidit, sed ibi comprehensus iustasque & ipse luit poenas.

Regnum Galliae exactionibus grauat.

Anno Christi 1290 gessit rex Galliae multa & grauiora bella contra Flandros, ut etiam saepenumero multa millia trucidarentur hominum. Quibus praesertim usque adeo exhaustis fisco sum, ut intolerabiles exactiones regnicolis suis imponeret, religiosis & secularibus. Exegit enim tricesimum & quinquagesimum denarium omnium bonorum, quae possidebant. Minuit quoque non nihil pondus monetae. Resipiscens uero tandem, monuit filium in morte, ut caueret ab huiusmodi grauaminibus, ne subiectis exosum se praeretur, si cut sibi contigerat.

Carolus Burgundus fugat regem.

Anno Christi 1460 surrexit potentissimus Carolus dux Burgundiae, & aggressus regem Franciae, Ludouicum scilicet undecimum, ferme illum regno exclusit. Nam in loco Montetheri, non procul a Lutetia, potitus est uictoria contra illum. At rex cacauerat sibi malum illud, gesseratque sese taliter erga subditos, ut etiam omnes regni principes, quin & frater eius regi rebelles existerent. Exhausterat enim uulgus inauditis exactionibus, grauique oppressit seruitute, nobiles uero contempsit, & ademit principibus omnem potestatem & libertatem, ut ne uenari ueritas illis licitum esset.

Anno Christi 1468 quum dissidium implacabile exortum esset inter episcopum Leodiensem & ciues Leodij, uenit Carolus dux Burgundiae affinitatis causa, episcopo succur-

furus & osidione cinxit ciuitatem. Venit & rex Ludouicus, ut opem ferret ciuitati, cui bene cupiebat, sed mutato animo Ludouici propter falsas suggestiões, desertis Leodij iunxit se duci, coepitq; oppugnare ciuitatē. Videntes ergo ciues, etiam cōfederatos suos contra se hostiliter motos, cōuerterunt se ad episcopū, supplicantes, ut remissa noxa patrem potius ciuitatis ageret quā hostem, cōciliaretq; eis ducem. Sed frustra huiusmodi ingeruntur preces. Videntes enim inexorabilem hostium animum, subito erumpentes ex urbe, irruerunt in ducis exercitum, incipientesq; saxiue, facile à fortiori repressi sunt, coactiq; fugere intra ciuitatis mœnia. Insequētes uerò hostes, acriter oppugnabāt urbē, nulla obsessis relicta quiete. Quod uidentes maiores quicq; in ciuitate, fuga sibi salutē quaesierunt, relicti in ciuitate uxoribus, liberis & uulgarib; quibusq;. Erāt etiā nōnulli in ciuitate, qui eā hosti prodiderūt, id quod tamē illis non impune cessit. Nā dux obtenta ciuitate, fecit proditores omnes decollari, unā cum alijs promiscui sexus hominibus, quos omnes interfecit, nullo habito delectu inter fœminas & uiros, pueros & senes. Cōfodiebant etiam sacerdotes & monachi in tēplis & in missarū solennijs. Colligabāt mulieres à tergo & proiiciebāt in subiectū Mosæ fluiū. Ultimo exurebāt ciuitatē, & diruebant murū. Nūmerantur quadraginta millia hominū qui in ciuitate trucidati, & duodecim millia mulierū, q̄ in aquas piectæ fuerūt atq; submersæ. At tāta Caroli ducis sauiuita, inulta nō mās-

Cruelitas extrema.

Bellum Burgundicum.

Bellum inter Burgūdos & Heluetios.



subditorū, fecitq; quosdam ex senatu Dannēsi, sine causa decollari, quapropter captus et publico iudicio multarum insignium ciuitatum morti adiudicatus, Brisaci fuit equestri dignitate priuatus, atq; tandem decollatus. Fuerunt autem & Heluetij ad hoc iudicium uocati, quibus multas quoque intulerat iniurias. Hęc historiam inuenies infra ante Alsatiam descriptam. Volens proinde dux Sigismundus suas redimere terras, Carolus renuit

Inter gesta Heluetiorū hæc historia copiose tractatur.



Effigies ducis Caroli.

acquiescere, sed ui conabatur eas sibi reseruare, sciens quā fertiles essent ad proferēdum uinum optimum & frumētī ingentem copiam, Sigismundus uerò numerata pecunia & deposita apud publicum mensarium, coepit per caduceatorē Carolo significato, fretus auxilio Heluetiorū, terras suas rursus in suam accepit potestatem, & ubique præfectos iuratos illis dedit. Quod Carolus ægreferens, instituebat uindictam sumere de Heluetijs & Sunggoijs. Heluetij uerò olsacientes quod futurum erat, non expectabant aduētum hostis, sed sine mora inuasērūt terrā ducissæ Subaudiēsis, quæ à parte ducis erat, occupantes meliora oppida, nempe Gransen, Orben, lügen, luerdon, Morsee et totā terrā iuxta lacū Losanneñ. usq; ad Geneuā.

At mulier

At mulier uidens se imparem uiribus Heluetiorum, donauit duci Burgundix omnes terras illas, quas ei eripuerant Heluetij. Quapropter metuentes cōfœderati Heluetij, ne dux occuparet memorata oppida & arces, in graue dispendiū suæ regionis, quæ ab illa parte terminat ad Subaudi ditionē, præuenerūt eum. Dux itaq; congregato magno exercitu, uenit per Lotharingiā, ut aggrederetur Heluetios, & inueniēs prope Nanceiā seu Nāseum oppidū, iter sibi præclusum, facile oppugnauit atque obtinuit oppidum ipsum, auctioribus uiribus suum roborauit exercitū. Hinc uero per superiore Burgundiā traducēs exiit, uenit in Subaudię terrā, occupauitq; prope Gransen duas arces, & omnes Germa-



nos milites, quos in eis offendit (erant autē circiter quingenti) iussit suspēdi ad arbores, sex aut octo ad ramū unū. Heluetij ergo, Sunggoij, Brisgoij & habitatores Nigræ syluæ excitati hoc rumore, uenerunt illico cum magnis copijs, & recuperarunt amissas arces. Cōgressiq; duo exercitus, ineunt prælium, specie quidem horrendū, at pauci ceciderūt. Nam Burgundi cōtra ducis uorū fugā salutē quæsierunt. In hac pugna amisit dux omnes suas bombardas, trecentū dolia (quæ donnas uocant) pulueris bombardici, & magnā uim indumentorū & ornamentorum sericeorū, unā cum ingenti thesauro præciosorum iocalium de argēto, auro & lapidibus præciosis. Inuenti quoq; sunt in castris eius ter mille sacci pleni auena, duo milia quadrigarū cū laqueis & funibus, quibus instituerat capti-

Prima Burgundij & Heluetiorum pugna.

uos suspēdere, bis mille uasa hallecū, multa uasa plena fumatis & exiccatis piscibus, unā cū falsis carnibus, gallinis, anseribus, item tres quadrigæ repletæ balistis, neruis, funibus & telis: multæ quadrigæ plene iaculis Anglicis, octo millia contorū aculeatorum, plurima pocula argētea & aurea calata, cū lauacro argēteo, quæ causa splendidioris apparatus se cum tulerat, sigilla eius, maius ac minus, sigillū fratris eius Antonij, qui tamē illegitimus erat: item ficus, amygdala, & species aromaticæ sine pondere & mēsurā, uiginti quatuor signa militaria seu uexilla, multa tētoria & magna copia escarum. Ingens quoq; pecuniæ aceruus est inuētus, quæ uictores pileis inter se distribuērunt. In summa, æstimatio omnium bonorum, quæ dux in hac prima pugna perdidit, fuit trigies centenorū milliū coronatorum. Heluetij itaq; hac potiti uictoria, castra mouerunt cōtra oppidum Gransen, quod Burgundi occupabant, & inuenerūt ibi miserū spectāculum, fratres scilicet suos adhuc rexta lacū, anno scilicet 1476 altera Martij. Postea nō multo interiecto tēpore, cupiēs dux illa rē ulcisci damnū, instaurato exercitu obsedit oppidū, quod uulgō Murten uocamus, & hodie sub Bernatiū est ditione. Heluetij audientes ducē redintegrare bellum, uenerūt absq; mora, quibus etiā iunctus est Renatus dux Lotharingiæ, cui Burgundus abstulerat Nanceiam, sed ille postea rursus obtinuit, & cōgressi cū ducē, duroq; cōmissō prælio, superiores facti sunt. Instauratus est exercitus Heluetiorū subsidio Basiliensiu. Argētinen- sium, Sunggoiorū & ducis Renati, ascēditq; usq; ad quadraginta millia electorū militum & equitū armatorū, qui omnes intrépido animo irruerūt in castra ducis Burgundi, fuderuntq; omne robur eius, & iam secundo ducem in fugā uertunt, diripiuntq; castra eius, & nō uulgaria colligunt spolia. Ceciderūt in hac secūda pugna à parte Burgundi, ad decentē & septem millia uirorū, à parte uerò Heluetiorū nō sunt desiderati ultra quinquaginta uir- tos. Alij uerò scribūt, in ipso cōsistū occubuisse duntaxat tria millia uirorū, equites uerò & cataphacti ducū Austriæ et Lotharingiæ, insequētēs fugientem hostem, sine cessatione trucidarūt eum usq; ad Paterniacū. Aliquot annis post hanc cædem, extructa est domus extra mœnia oppidi Murte, quæ impleta est ossibus interfectorū, in quibus hodie adhuc aperta indicia apparent uulnerū & ictuū, gladijs, pugionibus & iaculis illatorū. Indi- gnatus autem dux Burgundiæ quod iam secundo occubisset, profligatus fuisset à ducē se longe inferiori, qui antea regem Galliæ ferè regno exturbauerat, seque pro rege gesse- rat, etiam si Fridericus Imperator detrectaret illi dare regiū diadema, spirabat minas quo- modo hanc iniuriā ulcisceretur. Contigit autem hæc secunda eius clades mense Iunio. Cum itaque tantam confusio nem ab Heluetijs & eorum auxiliarijs passus fuisset, uolens tantam iacturam ulcisci in ducē Lotharingiæ, tempore hyemali obsidione cinxit Nan-

Secunda pugna apud Murten.

*Tertia pugna
apud Nanceiã.*

*Carolus dux
interficitur.*

ceiam, adeoq; infestabat eam, ut fame arbitraretur eam subigendam. Verum nisi episcopus Metensis, illi suppeditasset cõmeatum, ipse præ fame coactus fuisset soluere obsidionem. Accelerantes autem Heluetij cum copijs ducis Lotharingiã, inuasert̃ ducem Burgundiã & eius exercitũ in prauigilio Epiphaniã, anno 1477 grauissimo prælio ad orientes imparatos, quod Burgundi ferre non ualentes, in fugam sunt conuersi, cassis ex eis aliquot millibus in ipsa fuga, multis etiam impulsis & submersis in Mosella. Qui uerò sibi latibula in nemoribus quãsierũt, inuenti ab incolis loci, trucidati sunt. Sed et dux Renatus non destitit persequi hostem, quousq; nox ipsum pedem referre coëgit. Porro infelix Carolus quũ & ipse fuga salutem quæreret, lapso equo, aut ut alij scribunt, deiectus ab equo, tribus uulneribus est interemptus. Vnum habuit in capite, alterum in fœmore & tertium in parte corporis posteriori. Fuit interitus eius aliquantisper incognitus, nec quis eum interfecerit sciebatur. Inuentum uerò corpus eius inter reliqua cadauera & cognitum, delatum est Nanceiã. Facies eius adeo intumuerat ex frigore, ut uix cognosci posset. Diu fuit dubitatum de interitu eius. Quidam enim dixerunt, eum uiuum abductum & regi Gallie præsentatũ. Alij uerò aiebant, eum per fugam elapsum, assumpsisseq; uoluntariã peregrinationem, & reuersurũ post certum tempus. Mercatores multa cauillabant de eo, ementes & uendentes plurima, quorũ solutio differebatur in reditum eius. Inuentus est quodq; post paucos annos, Bruxellis in Spirẽsi diocesi uir quidã per omnia duci Carolo similis, quẽ uulgus cõstanter assererat Carolum ipsum esse, quantumlibet ille reclamaret, negare se illum esse. Interempto autem duce Carolo, noua discordia exorta est inter regem Maximilianum & regem Franciã. Rex enim Ludouicus accepta Picardiã, conabatur quoq; in deditiõnem accipere Artesiam, unã cum tota Burgundiã, sicut & ciuitates quas dã occupauit, quas tamen Maximilianus rursus recuperauit, celebratis nuptijs cum filia ducis Caroli, quã sibi Gandauĩ referuabatur.

Anno Christi 1513 conatus est Maximilianus recuperare in Burgundiã quicquid ei subtraxerat rex Gallie: & conducens Heluetios, adijciensq; eis copias militum, nobilium & comitum, iustum exercitum misit in Burgundiã. Qui obsidione cingentes primã & præcipuã ciuitatem, nempe Diuionem, infestabant eam aliquandiu machinis bellicis. Obsessi uerò sperantes se posse pecuniã emere pacem à Cæsarianis, nullum non mouerũ lapidem quo hostem scutis aureis à mœnijs arcerent. At cum illi recusarent oblatum accipere aurum, quin magis spem haberent, ut illam captam ciuitatem, faciliẽ tota potirentur

Burgundiã, erant in exercitu plurimi, qui inconsultis ducibus & magnatibus exercitus, accipientes pecuniã, detrectarunt pugnare contra ciuitatem. Tunc ergo Cæsariani coacti fuerunt, re infecta, in Germaniã redire.

Finis descriptionis Gallie.

Descriptio